IVVENALIS LEVERONI FOSSANENSIS MEDICI IN APHORISMOS HIPP. LVCVBRATIONES.



In Monte Regali Leonardus Torrentinus excudebat. M. D. LXV.

QVAE IN TOTO HOC
Aphorismorum opere continentur, hæc sunt.

Legitimorum Sectiones numero septem, quarum

Apho rismo rum

Prima est de uacuandi ratione.
Secunda de Instituenda uictus forma.
Tertia de quatuor anni temporibus, & eorum constitutionibus, quos uidelicet morbos pariant.
Quarta de Aetatibus, quæ quibus morbis sint obnoxiæ.
Quinta de quorũdam morborum & symptomatum tũ causis, tũ curationibus.
Sexta de Mulierum passionibus.
Septima & postrema de Prædictionibus.

Spuriorum Catalogus, cui annectitur legitimorum Aphor. iuxta ordinem Alphabeti index.

HIPPOC. MANES
ad Lectorem.

SI quis es, Hippocratis qui prisca volumina quondam
Legeris, hoc iterum perlege Lector opus.
Forsitan innumeris vllo non ordine clarus
Opposui nimias præmia ad ampla moras.
Ecce iterum cunctis serie meliore renascor,
Quodq; ego non potui, tu LEVERONE potes.

SERENISS. ATQVE INVICTISS. EMANVELI PHILIBERTO, & MARGARÍTAE SABAVDIAE DVCIBVS, Pedemontanorum Princip.&c. IVVENALIS LEVERONVS Fossanensis Medicus χαίρειν.

EQVIDEM *mihi iam diu gauisus sum, ac in dies magis magisq; gaudeo, vobis uerò, Sereniss. Principes, quum hactenus non licuerit, nunc primùm gratulor, quòd pius & misericors Deus votis annuens nostris prole uos masculina toties, tamq; ab uniuersis optata fecerit parentes. O felix atque iterum felix dies illa; felicior hora, felicißimus nuntius, quæ de edito fœtu isto*

nos tandem fecere certiores. Quale gaudium arbitramini felici in primis ac fausto partu hoc nuntiato omnium, quotquot vestro verè subiacent imperio, inuasisse animos? Tale nimirum ac tantum, vt excogitari menteve concipi à quopiam uix possit. Quod sanè ut facto à plerisq; testatum relinqueretur, alij alia (de more uidelicet, & vt cuiq; pro fortuna datum est) uobis obtulerunt munera. Horum ego institutum ac vestigia insequi percupiens, quum nil aliud, vt qui pauperculus sim, haberem offerendum, hoc ipsum (qualecunque id sit) de chartacea nostra supellectile excerptum Amplitudini uestræ dicare, inscribere, & consecrare volui: eodem mehercule consilio, vt & meæ lætitiæ ex primogeniti uestri natalitio die conceptæ aliquod apud vos extaret argumentum. Accipiatis itaque, Principes benignissimi, nostrum hoc exiguum quidem, sed tamen ex deuoto corde, obsequentissimoq; animo proficiscens munus. Quin verò,

ea, qua uobis offertur, mente, hoc susceptu ri sitis & amplexuri, dubitare nec possum, nec debeo: quum illud omnibus sit perspicuum, quanti semper uestrum vterque fecerit bonas literas, & bonarum literarum studiosos, ut nemo sit uel mediocriter eruditus, quem cognoscere non expetatis, ad uos venientem vlnis patentibus non excipiatis, honoribus muneribusq; onustum non dimittatis. Quæ sanè officiorum tum multitudo tum magnitudo omnes lacessit, & penè cogit, vt excelsas tantorum Principum dotes ac egregias laudes canant ubique, ubique haud uulgari celebrent encomio. Quos tamen pro dignitate laudare nemo vnquam satis commodè poterit, quum ex animi bonis, quæ sola uerè ac perennia bona sunt, nullum sit penitus, quod uobis natùra rerum omniū parens cumulatius largita non sit. vt nihil interim de bonis corporis referā, quibus illud in ambobus pollet, renitet, totumq; splēdescit: adeò, vt qui MARGARITAM

EMANVELI PHILIBERTO *iunctã norunt matrimonio, non secus illis mirari subeat, quàm si ex fulgentissimo auro miro elaboratum artificio anulum pyropo topatiovè insignitum pretiosissimo intuerentur. Quum itaque (vt eò demum, vnde digressus sum, redeam) tanto studio, tanto affectu rei literariæ candidatos prosequamini, non est quòd verear, quin hic noster ad vos veniens libellus, idest Iuuenalis vestri humilis mancipij munusculum quàmlibentissimè, hilariq; fronte in vestros suscipiatur amplexus, susceptumq; vnà cum autore ipso foueatur, ac demum aduersus liuidorum rabidos morsus, & præacutos obtrectatorum aculeos protegatur strenuè. Te verò omnis boni autor & largitor Deus Opt. Max. supplex oro, deprecorq;, vt* EMANVELEM PHILIBERTVM, *&* MARGARITAM *duo Orbis Terrarum clarissima lumina, quibus certè discussis bellorum ac tot calamitatũ tenebris felix tan-*

topere

topere expectatæ pacis dies iam nobis illuxit, diu ſerues incolumes. Tantorum autem beneficiorum memor noſtra hæc ætas gratias tibi & agere, & habere nunquam deſinat. Foſſani Anno à Chriſto nato M. D. LXIII. vij. Idus Ianuarij.

AD SERENISS. EMANVELEM
PHILIB. Allobrogum Ducem, &c.
Iuuenalis Ancina Fossanen.
Philosophię ac Medi
cinæ studio-
sus.

DVm sæua exacuit bello Mars impiger arma
Hostileis Populi sustinuere manus.
Verùm vna ante alias inuicto pectore forteis
Nostra tibi genuit Patria Terra viros.
Non sic intactam (vos Diuum numina testor)
Seruauit Priamo maxima Troia fidem.
Nunc eadem, cum iam Pax alma illuxerit orbi,
Quos peperit iuuenes, nectare Phœbus alit.
Vnus adest, clara qui pignora MARGARITAE
Prima ferat: pariter sacrat & illa tibi.
Mox quoque te ipse canam, faueat si pulcher Apollo,
Vt feriat nomen sydera celsa tuum.

Eiusdem Elegia ad Lectorem.

Multa olim Græci primùm scripsere parentes
Dogmata, quæ meritò laudat uterque Polus.
Hos inter magno nunquam cariturus honore
Cous Apollinea fulget in arte senex.
Inde virum nobis longo post tempore natum
Pergamus ad cœli nobilis astra tulit.

Sæpe

Sæpe illum, dum ferret opem mortalibus ægris,
Insignem coluit Græcia tota Deum.
Obscuris igitur diuina oracula miscens
Reddidit, & sacrum prodidit alter opus.
At uerò molem informem, nullo ordine nixam
Qui nostro exornet tempore, nullus adest.
Butinus (fateor) quondam labentibus annis
Incœpit numeris reddere cuncta suis.
Verùm opus haud equidem exiguum, sed uiribus impar
Aggressus, media concidit ille via.
Peruertit methodum: satius si iam edita nunquam
Mutasset, series nam magis apta prior.
En igitur meliora tibi LEVERONVS amicè
Præbet Apollineo munera digna choro.
Accipias: primus quanquam labor iste videtur,
Ingenij vireis Pagina lecta docet.

IVVENALIS LEVERONVS

FOSSANENSIS MEDICVS

AD CANDIDOS

Lectores.

COus ille Hippocrates, quum medicinæ facultatẽ rudem adhuc, ac innumeris penè erroribus refertã excepisset: hãc ipse primus omnium in Artẽ redegit, suisq; scriptis amplificauit, illustrauitque adeò, vt meritò vnum hunc medicorum Principem ex omnium consensu appellarit Galenus, omnium item bonarum disciplinarum Ducem & autorem.

Aphorismorum Hipp. cõmẽdatio.

Præter cætera autem eius viri præclara monumenta, quæ sanè multa ac varia posteris relicta sunt, extat Aphorismorum de his ipsis inscriptum opus, in quo Diuinus ille senex vniuersam medendi vim breuissimis quibusdam sententijs (si potius sen-

tentiæ,

tentiæ , quàm oracula sunt appellandæ) complexus est . Quò fit , vt perspecta nimirum eius operis insigni ac multiplici utilitate artis medicæ studiosi hoc assiduè perlegant , hoc perpetuò secum deferant , maiori sanè lectorum & commodo & profectu , si materiæ in eo contentæ suo quæque tractarentur loco , non ita variè miscerentur: Farrago enim illa , & diuersarum rerum miscellanea congeries confusionem , atque adeò difficultatem parit . Neque verò Hippocrati id vitio verti debet , quòd videlicet tantum opus ἄτακτον *, hoc est inordinatum (vt ita dicam) incompositumq; prodire in lucem passus fuerit : non enim adduci possum vt credam , hos Aphorismos ab Hipp. fuisse conscriptos , vt sic digesti aliquando in publicum emitterentur . Verùm , quum multa scriberet Hippoc. vt tunc illi se se scribenda passim offerebant , rationi consentaneum est , vt aut alijs districtus negotiis , aut fortassis morte præuentus hæc* Excusatur Hip.

inter

inter reliqua castigare, & suo quæque loco digerere, collocareq; nequiuerit. Quid aliud, quæso, de tanto viro possumus excogitare, si æqui boniq; iudices esse uelimus? Referēda igitur erit mali causa uel in Thessalum eius filium, qui hos Aphorismos, quē admodum & multa alia collegerit, ex ipsisq; sic dispositis confiatum opus ediderit: vel certè in eos Hipp. interpretes, ne dicam peruersores, qui nonnulla immutare, quædam auferre, plurima verò de suo temere adijcere non erubuerunt, non in Aphorismis duntaxat, sed etiam in alijs ferè omnibus eius viri lucubrationibus. Ut illud libere ingenuèq; fateri ausim, nullum apud nos extare genuinum Hipp. scriptum, quod non aliquid supposititij spurijq; habeat annexū. Cuius rei optimus testis est Galenus, cum multis aliis in locis, tum præcipuè primo in Tertium de morbis vulgaribus circa finem expositionis primi ægroti Pythionis; Tertio itē de difficultate respirationis paulò post ini-

tium.

tium. Ex quibus locis colligere facilè quisq; potest, quot quantaq; mala passa fuerint Hipp. scripta. Quorum sanè miserandam infelicitatem non potuit nō mirari idem Galenus eo primo in Tertium de morbis vulg. Non igitur Hipp. culpa hoc ipsum Aphor. opus, eo, quem cernimus, digestum ordine ad nostras peruenisse manus credēdum est. Quod quum semel totum aliquando percurrissem (ut quò nostra spectat oratio, tandem deueniam) materiasq; in eo contentas nulla omnino serie digestas perspexissem, (magno interim ediscentium damno, quid enim difficilius memoriæ committitur, quàm quod neque ordine, neque ulla denique ratione cohæret?) cœpi mecum sic cogitare, diuq; animo uoluere; quale medicinæ candidatis impenderetur officium, si quis hos Hipp. Aphorismos, vt materiæ videlicet diuersitas expostulat, digereret ita, ut unaquæq; materia suum sibi uendicaret locum, hoc nanque pacto fore, ut & citius & tenacius Suscepti operis occasio.

me-

memoriæ insigerentur. Tantum potest rerũ inter se germanus, & congruus ordo; vnde licet permulta sint, ex quibus Aristoteles ille Stagirita Philosophorum omnium facilè Princeps decus, nomenq; immortale sibi comparauit, nulla tamen in re se nobis magis præstitit admirabilem, quàm in eo, quo in dicendo vsus fuit, ordine. Præterea, si ipsius vniuersi structuram opificiumq; intueri velimus, non ne cuncta, pusilla quæque ac maxima miro quodam & penè ineffabili ordine disposita esse vltro fatebimur? vt nihil non summi opificis tum sapientiam tum prouidentiam longè, latèq; patefaciat. Quo nimirum argumento ductus Aristoteles suæ Metaphy. 12. *in calce, ad vnius primi motoris nutum refert omnia, cum inquit: Entia nolunt malè disponi, sit vnus ergo princeps. Quare, in omnibus potissimum habendam esse ordinis rationem, hinc puto satis fieri manifestum. Sed interim pugnabit quispiam: Dum in his Hipp.*

Arist. laus ex miro dicendi ordine.

Obiectio.

Aphoris-

Aphorismis ordinem disquiris, & expetis, velle videris ordinem posse aßignari, vbi nec est, nec vllus esse potest ordo, quum doctrina hæc Aphoristica, de qua habetur sermo, non sit ex earum genere, quæ alicui ordini inhærent, vtpote vel compositiuo, vel resolutiuo, vel definitiuo: quorum sanè aliquo niti debet doctrina quælibet, quæ via, ratione, ac methodo constituitur. Huic *argumento ità paucis responsum volo: propositum, ac institutum meũ non esse in Aphorismis quẽpiam ex prædictis ordinem venari, sed priuatam duntaxat vniuscuiusq; materiæ determinationẽ ita, vt quicũq; Aphorismi ad vnum & eundẽ scopum spectare videntur, ij in vnum congerantur locũ, vt vitetur materierum confusio: exẽpli gratia, vt quicunque Aphorismi ad præscribendam victus rationem pertinent, propriã, & peculiarẽ sortiantur sectionẽ de ratione victus inscriptã: sicq; in alijs eodem modo. Non ergo hic quærimus vel cõpositiuum ordinẽ, vel resolutiuũ, vel de-* Dilutio.

 finitiuum:

finitiuum; nec singulorum Aphor. inter se ordinem, quum pleriq; tales sint, vt nihil vel parum referat, quis cui praeponatur.

In Galenum.

Illud itaq; Galeno obiicere iure optimo quis posse videretur, quod quum alioqui Hipp: *dicta, quae sunt obscura, dilucidè interpretari, quae parum discreta distinguere, quae autem defecerunt supplere studuerit; (ex quo non parum laudis consequutus fuit, quum is, qui subtiliter factum emendat, laudabilior sit eo, qui primus inuenit; vt asserit* Iustinianus *Imperator l. j. §. Sed si. Cod. De veteri iure enucleando) hoc vnum, quod ab eo maximè videbatur praestãdum, omiserit. Sed tantùm abest, vt in hoc meritò sit accusandus Galenus, vt potius omni praeconio dignus esse censeatur, si rem ipsam (vt par est) exactius perpendamus. Galenus enim, vt qui* Hippocratici *nominis studiosissimus, idemq; obseruantissimus erat, sibi haudquaquàm licere existimabat uelle in* Hipp. *scripta corrigendi ac castigandi gra-*

Defenditur Galenus.

tia manus admouere, ea fortè ductus opinione, ne, si hoc tentasset, studio duntaxat contradicendi fecisse existimaretur. Uel potius, ne in eam, quàm ipsemet in alios fert, accusationem incideret, qui quàmplurimos temeritatis damnauerat, quòd sic audaces extitissent in immutandis Antiquorum scripturis: quando re uera id fieri nequeat, nisi uniuersum opus immutetur, aliamq; omnino patiatur metamorphosim. Neque vt multi consueuere in antiquos scriptores, nulla scilicet dignitatis personæ habita ratione, sic in Hipp. ipse inuehi & efferri voluit: imò ipsius nomen innumeris laudibus passim extollit, & celebrat. Nam, magnum appellat, senem, magistrum, nobilissimũ, probum, veracem, diuinum, medicorum Principem, medicorum diligentissimum, omniũ philosophorum & medicorum primum, omnium bonarum disciplinarum ducem & autorem, exactissimum medicorum artificem, omnium denique bonorum artis me-

Hipp. laus multiplex ex Galeno.

 dicæ

dicæ autorem. Bonæ insuper ac verè piæ mētis fuisse Galenum in ipsum Hippoc. *declarant, quæ ab eodem Galeno scripta comperimus quinto Aphor. lib. Comm. Aphor. 62. in ipso statim initio, cum inquit: Si mihi liceret omnibus Aphorismis congruentem ordinem apponere, non essem veritus paulò antea dictum Aphorismum in huius locum transferre, &c. Quid præ se ferunt verba hæc, si mihi liceret? Quid testantur, quæso, nisi humanitatem, obseruantiam, vel potius pietatem quandam in senem & antiquum magistrum?* Hæc, *inquam, in causa fuerūt, quò minus Galeno liceret ipsos Aphorismos in vniuersum tum congruenti ordine digerere, tum castigatiores reddere. Cæterū, quoniam veritas ipsa nunquàm reticēda est, omnibusq; quàmlibet arctissimis necessitudinis, & amicitiæ vinculis præponenda, (vnde illud Aristotelis celebre: amicus Socrates, amicus Plato, magis tamē amica veritas,) propterea, licet quicquam immutare noluerit*

rit Galenus, eidem tamen placuit examinandae, perquirendaeq; veritatis ansam nobis praebere: dum videlicet multorum Aphorismorum praepost erum ordinem notat, ac germanum, congruentemq; subinde nobis indicat: dumq; multa nunc addenda, nunc contra eximenda innuit, ipse intacta relinquēs omnia. Quod igitur neq; Galenus aggredi sibi fas esse putauit, neq; alius quisquam post ipsum, quod sciā, efficere statuit, hanc ego prouinciam quanquàm meis humeris longè imparem, cum adhuc Papiae *Artium, & Medicinae studijs operā nauarē, suscipere non formidaui: idq; exercendi ingenij, & otii vitandi gratia, quo tempore vacationes, quas appellant, nobis indicebātur. Quare, quum tempus opportunum nactus essem ad opus propositum inchoandum, atq; ad hoc vnum perficiēdum caeteris omnibus posthabitis vniuersas ingenioli vires collegissem, tandem diuina adiutus ope anno à partu virgineo.* 1559. *exoptatum finem*

cœptis imposui, hoc est Hipp. Aphorismos primùm quidem iuxta materierum varietatem digessi ita, vt vnaquæque materia suum sibi vendicet, obtineatq; locum. Deinde spurios, ac subdititios, cuiusmodi complures esse noueris, seorsim reposui, vt ab iisdem legitimi probè dignoscantur. Legitimos verò ita ad Galeni amussim concinnauimus, vt iam sic castigati ac recogniti non Hippoc. potius, quàm Galeni iure dici posse videantur. Quibus sic peractis & ad calcem deductis illhinc ad biennium post suscepta Doctoratus insignia huc in Patriã multis iam annis non visam commigraui, vbi fortè post pauculos menses noster hic labor in manus quorundam, quos vnicè amo, obseruoq; plurimùm, inciderat, qui sanè (citrà iactantiam) hoc à me & inuentum, & excogitatum multis nominibus probasse visi sunt, imò dignum adiurasse, vt in communem artis medicæ studiosorum vtilitatem typis excudendum traderetur. Hæc qualia-

Harũ elucubrationum editionis causa.

cunq;

eumque me non ea de causa conscripsisse, vt aliquando in lucem prodituram existimarem, sed pro meipso tantùm confecisse, mihiq; vni annotauisse asserenti responderunt, nihil vnquàm esse mortalibus occultandum, quod ipsis aliqua ex parte prodesse queat. Nec solum nobis natos esse, (ex Diuino Platone) sed ortus nostri partem Patriam, partem amicos vendicare: hosce verò Hipp. Aphorismos eo nouo quidem, at non pœnitendo digestos ordine artis medicæ studiosis haud mediocrem allaturos opem. Horum *sanè virorum quãquàm apud me plurimùm valeret autoritas, vt qui in re medica haud contemnendi iudicij & sint, & habeantur: multa tamen ab edendo opere animũ meum auocabant, distrahebantq;. Unde anceps diu multumq; permansi, viris ne illis probatis præsertim iusta petentibus, & mihi necessitudinis vinculo coniunctissimis morem aliquando gererem, nec ne. Sed tandem in eam deueni sententiam, vt clarissimum Gi-*

nodium Celsitudinis Ducis nostrae MARGARITAE ἰατρὸν, *qui hunc mihi de edendo opere subortum tolleret scrupulum, adirem, consuleremq;. Ille, quum vltrò sibi oblatum opus non semel percurrisset, solertiusq; lectitasset, ne latum quidem vnguem ab aliorum discessit iudicio, utq; eadem scripta in publicum usum exire finerem, cohortatus fuit. Tum ego: quando, uir praestantiss. tui, & aliorum quorundam creberrimi hortatus ad id me urgeant compellantq;, ut quod mihiipsi tantùm in adolescentia penè constituto, & in scholis adhuc uersanti paraueram, illud omnibus ex aequo commune efficiam: cum primùm eas lucubrationes paulò locupletiores reddidero, in lucem emissurum sanctè ingenuèq; polliceor. Primùm itaque operaepretium me facturum existimaui, si duas saltem priores Sectiones, & obscuriores, & usu potiores scholiis quibusdam exornarem. Quam rem potuissem equidem uberius ple-*

Quæ priori elucubrationi accessèrint.

niusq;

niusq; tractare, eoq; ad iustiorem voluminis magnitudinem deducere libellum: sed superuacaneum simul ac ridiculum fore putaui post Galeni, Oribasii, Philothei, totq; aliorum tum veterum, tum recentiorum luculentas enarrationes velle in rem toties, tamq; à multis pertractatam nouum, & longum intexere commentarium. In aliis verò Sectionibus paucos admodum, & hos quidē Annotatiunculis verius, quàm scholiis illustrandos curauimus. Ad haec, Auic. loca, in quibus autor ille grauissimus eandem ab ipso Hipp. huiusq; enarratore Galeno mutuatus est sententiā, subnectere, indicareq; mēs erat: in primis quidem eā ob causam, vt iis, qui post Græcos Arabū quoq; placita libenter sectantur, faceremus satis: deinde, ut cuiuis manifestum relinqueretur, quàm sint Arabum dicta Græcorum dogmatibus affinia, non contrà, dissona valde, totoq; discrepantia cælo, ut quidam nostri temporis medici solùm rabie quadam aduersus

Mauri-

Mauritanos affecti falsò putarunt. Sed ob publicum, quod hoc anno suscepi, curandorum ægrorum onus, ne tantum quidem otij suffurari potuissem, quantum ad id inchoandum, ne dicam perficiendum, sufficere posse videbatur. Quare, vt fidem meam tandem absoluerem, vtq; honesto etiam quàmplurimorum desiderio facerem satis; hæc apud me diutius latitare nolui. Quæ si æqui, boniq; (Apollineæ Artis cultores) vos consuluisse persensero: & quæ per præsentes occupationes aggredi, tentareq; non licuit, & his fortè grauiora aliquando in gratiam quoque vestram animus noster molietur. Interim verò benè valete.

Peroratio

NOn deerunt, ſat ſcio, qui legendo nō poterunt non vehementer mirari, ꝗ Hippoc. Aphoriſmi tantam paſsi fuerint metamorphoſim, adeoq́; à vulgata diſtent editione: quũ aliqui, qui ſeorſim prius ſcripti erant, nunc alijs copulati cernantur: aliqui addito vno, aut altero verbo nunc adaucti, aliqui contra imminuti, vel quoquo pacto à priori effigie immutati legantur. Has proinde obſeruationes in ipſo ſtatim operis limine exarare conſilium fuit, vt ijs perlectis mirari quiſq; deſinat, rationibusq́;, quibus iuſti facti cauſa redditur, acquieſcat. Complures itaq; Aphoriſmos, qui prius ſeorſim, diuiſimq́; conſcripti erant, cum alijs copulauimus, vt ſcilicet ita exigente re ipſa ſermo vnus fieret, & quidem manifeſtior. Ex his nāque hoc pacto annexis, & copulatis alij ſunt præcedentis ſermonis veluti exēplum quoddam, cuiuſmodi eſt decimusſextus quarti lib. ad trigeſimumſeptimum ſecundi. Alij verò prioris doctrinæ redditionem cauſæ continent, qualis eſt trigeſimus ſecundæ Particulę cum vigeſimonono eiuſdem. Plurimos itē, aut ſuperaddito, aut dempto, vel etiam immutato

mutato vno, alteroue termino ab antiquiori ſcriptura euariare cernes: non alio ſanè inſtituto, neq; alia de cauſa, quàm vt ipſius Aphoriſmi integritas ſe ſe ſtatim Lectori prodat. In quibus tamen omnibus Galeni mentem ſequuti fuimus. Quos igitur aſteriſco hoc ſigno * inuenies notatos in margine, geminos eſſe cenſeto: atq; inibi alterius Aphoriſmi adeſſe initium, ubi appoſita erit nota. At, quæ duplici hac clauſula [ ] circunſepta comperies verba, ea ex adiectis & ſuperadditis, uel quo quo pacto immutatis eſſe coniicies. Neque illud ſilentio prætereundum, permultos eſſe Apho. qui non ſecundum ſimplicem unã ſcripturam, ſed alia donati, atq; alia ad Galeni manus peruenerunt. Nobis uerò placuit, vt ſub ea tantum lectionis forma incederent, quæ & a Galeno primum admiſſa, & in hunc uſq; diem recepta conſpicitur, ſeruata ubiq; Nicolai Leoniceni interpretatione, vtpote magis vulgata. Aliquot porrò inter ſcribendum mihi ſubortos ſcrupulos reticere decreueram, ne in his explicandis, ac diluendis bona temporis pars inſumeretur. Verùm, quum ea ſanè dubia haud omnino leuis eſſe momenti viderentur, non potui hæc ipſa intacta penitus relinquere, miſſaue facere, quin

vel digito ſaltem commonſtrarem. Itaq;, ne nos alioqui ulterius properantes diutius immorari, & ſuſceptum iter ſubinde intermittere cogamur:

Ad vos ſpectabit congeſtos ſoluere nodos,
Et mihi ſat fuerit vel tetigiſſe locum.

Ad hæc, quoniam nonnullos offendi Aphoriſmos, qui ſubiectæ ui materiæ non vnam tantum videbantur adire poſſe ſtationem, iccirco, præter eam, quam quiſq; ſortitus eſt ſedem, alteram quoq;, quæ haud iniuria ijsdẽ potuiſſet aſsignari, pro vario nimirum conſiderationis ſcopo, indicare volui: vt ſic admirationi, quam facilè imprudens quiſpiam ſubijſſet, nullus locus ſit reliquus. Reſtat iam, vt illud vos moneam, quaſdam in ſingulas ſectiones me cõſcripſiſſe Præfatiunculas, vt ſubiectæ rei argumentum cuilibet ſtatim innoteſcat. Numerus verò, qui ſingulis Aphoriſmis ſuppoſitus eſt, & annexus, vulgatæ editionis ſeriem indicat ita, vt prior quidem ipſum ſignet Aphoriſmum, poſterior autem Librum.

SINGV-

CAPITA.

Prima Sectionis.

1 Quos purgare non oporteat;
2 De præparatione ad purgationem.
3 De eorum, quæ vacuantur, qualitate.
4 De vacuandorum humorum quãtitate.
5 Quodnam anni tempus vacuandis corporibus incommodum, quodq; contrà idoneum sit.
6 Quo morbi tempore vacuare cõueniat, & per quam nostri corporis regionẽ: quando item ab omni vacuatione desistendum.
7 Quando per vomitiones, quando verò per alui deiectionem purgandum sit: quiq; ad alterutram purgationem sint idonei, & qui secus.
8 Quo pacto tum ciendę, tum sistendę sint purgationes exemplo epoti ellebori.
9 Qui superius, quiuè per inferiora purgandi sint, signa.
10 Prognosticon.

Secundæ Sectionis.

1 De victus Quantitate.
2 De victus Qualitate.
3 De cibandi vsus modo.
4 Quædam veluti Axiomata in ipsa victus ratione obseruanda.
5 Prognosticon.

Tertiæ Sectionis.

1 De quatuor anni temporibus in genere.
2 De ijsdem sigillatim,& primùm quidem de Vere.
3 De Aestate.
4 De Autumno.
5 De Hyeme.
6 De Vere rursus,& Autumno.
7 De temporum Constitutionibus,& primùm quidem de simplicibus.
8 De compositis Constitutionibus.

Quartæ Sectionis.

1 De prima ætate,id est de recens natis Puerulis siue Infantibus.

De

Appendix.

Quintæ Sectionis.

Vtrasq;

5 Vtrasque causas,& morbosas,&salubres continens Aphor.

6. Duo præcipua medendi Methodi Theoremata.

Sextæ Sectionis.

1 De menstruis purgationibus.

2 De signis & causis sterilitatis &fœcunditatis in viris,ac mulieribus.

3 De signis conceptionis in vniuersum , & de signis concepti maris vel fœminæ.

4 De signis & causis abortus.

5 Quibus argumentis deprehẽdatur fœtus in vtero matris belle valere, aut cõtra.

6 De signis lethalibus in prægnante.

7 De grauidarum purgatione Canon.

8 Trium vteri pasſionum curatio.

9 Prognosticon.

Septimæ & postremæ Sectionis.

1 De somno & vigilia.

2 De excretionibus,quæ uel per aluum inferiorem,vel per os ipsum fiunt.

3 De vrinis.

4 De sudoribus.

PETRI MALLIANI DOCTORIS Medici Tetrastichon.

Quod prius Hippocrates maturo scripserat æuo
LEVRONVS sparsum ritè coëgit opus.
Nos ergo allecti tantorum fruge laborum
Nunc Iuuenem colimus, consulimusq́; senem.

AVREVM

AVREVM DIVI HIPPOCRATIS Aphorismorum opus nouo quodam digestum ordine, ac nuper in lucem editum à IVVENALE LEVERONO Fossanensi Medico.

AVCTORIS PRAEFATIO.

Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora.

In duas distribuitur partes hæc auctoris in vniuersum opus suum præfatio. Et secundæ quidem initium est; [Nec solum seipsum præstare oportet,&c.] In priori itaq; parte intendit Hipp. (licèt satis obscurè) commentationum præcipuè Aphoristicarum vtilitatis, ac necessitatis causam assignare; causam inquā, ob quam Aphoristicas compendiosasq; com-

 men-

mentationes in arte medica cõſcribere, & poſteris relinquere oporteat. Hanc verò cauſam non niſi vitæ humanæ compendio, & ipſius artis magnitudini adſcribẽdam cenſet: vt primæ partis huiuſce contextus talis ſit (ex Galeno) intellectus: Quoniam artis magnitudo vitam excedit hominis adeò, vt ab homine quã tumuis diligenti, ac laborioſo nõ poſsit & inchoari, & ad finẽ vſq; perduci: propterea operæpretium eſt, quę quiſque cognouit, ea mandare literis, & tradere poſteritati commentationes, quæ rerum docendarum naturam omnem, diligenter, breuiter, & dilucidè interpretentur. In altera præfationis parte quoddam Hippocratis veluti cõſilium explicatur, quod certè ad eos, qui opus eius lecturi ſunt, dirigitur. [Nec ſolũ ſeipſum præſtare oportet &c.] Quod eſt perinde, ac ſi dixiſſet: ſi quis unq̃ dijudicaturus eſt, quantum in ſe veritatis cõtineant, quæ à me hoc in libro ſcripta comperiet, non ſolum ſeipſum medicũ oportet quęcũq; ſui muneris ſunt exacto iudicio, & accurata opera pręſtare, nihil videlicet, quod laboranti aliqua ex parte prodeſſe queat, omittendo, verum etiam ægrotantem parêre ipſi medico: miniſtros item ad omnia munia obeunda idoneos aſsidere, præſtoq; eſſe: poſtremò

exte-

exteriora omnia (qualia ſunt ambientis nos aëris conſtitutio, ægri domiciliũ, quæ nuntiã tur, quæ aguntur, & id genus alia plurima) ri tè cõparata eſſe, & in nullo delinquere. Hæc, inquam, ſunt quæ ſi opportunè fiant, & pro bè adminiſtrẽtur, prçſens hoc noſtrum opus ab omni calumnia, & falſitatis nota vindicabunt, quæq́; ad ſanitatem comparandam totius artis præcipuum finem, & ſcopum omnino concurrant, neceſſe eſt.

DE VACVANDI RATIONE, Sectio Prima.

PRAEFATIO.

EA Medicinæ pars, in qua medendi ratio docetur θεραπευτικὴν Græci appellant, in tres primarias diducitur partes nempe in διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν καὶ χειρουργικήν. Prima eſt, quę victus ratione morbis mederi docet. Altera, quæ medicamentis intus & extra corpus admotis medetur. Tertia, quæ ipſis manibus curationem molitur. Priores duas partes ſatis abundè videlicet pro compendij, & doctrinæ Aphoriſticæ ratione hic proſequutus fuit

Hippocrates. De tertia peculiares cõſcripſit Tractatus, de fracturis, de articulis, &c. Primũ itaq; vacuandi methodũ pręſcribit. Cæterúm, quũ vacuationum plures ſint differētiæ (vacuamus enim vel venæ ſectione, vel purgãte medicamento, vel cucurbitularum appoſitione, vel hyrudinũ vſu, &c.) nullum vacuationis genus in Aphoriſmis magis tractauit Hippocrates, q̃ quod purgante fit medicamẽto: idq́, tum per vomitum, tum per alui deiectionem, quod propriè purgationis nomenclaturam ſibi vẽdicat. Eſt autem purgatio humorum ſua qualitate moleſtãtium excretio, 1. Apho. commen. 2. Aphoriſmi. Quæ ſanè nõ nunquam per ſe, ſuaq́; ſponte fit: aliquando arte, & ope Medici. Hãc proinde artificialem appellant, illam verò ſpontinam & naturalẽ: de quibus in prima hac Sectione ſtatim mentio fiet.

QVOS PVRGARE non oporteat. Cap. 1.

1 *Qui bene ſe habent corpore, difficulter ſe- runt medicationes.* * *Sic ergo & elleborus*

carne

carnes sanas habentibus periculosus; facit enim conuulsionem. 37.2. & 16.4.

Quum purgatio illis duntaxat conueniat qui cacochymia, & succorũ vitio laborant: vel luce meridiana clarius euadit, ꝙ ea propter sanis haud quaquam propinanda sunt purgãtia medicamenta. Si enim purgentur, ijs omnino difficulter purgationes procedunt; quoniam quum epotum pharmacũ proprium sibi & familiarem, quem attrahat, educatq; nõ inueniat humorẽ, carnes ipsas necessariò, ac sanguinem colliquat; unde nimirum tormina, vertigines, viriũ exolutio, & alia huiuscemodi mala consequuntur. Fecit autem Hippocrates hoc loco expressam mentionem de elleboro ipso, eo quòd propter operationis uehementiam, & vim suam effrænem, illud præcipuum habeat, vt conuulsionem excitet, & inducat.

2 *Qui salubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur, citò exoluuntur; & qui prauo utuntur cibo. 36.2.*

Quod in præcedẽti Aphorismo vniuersaliter est comprehensum, hoc nũc sigillatim in vnico symptomate nobis proponitur, quod

est virium exolutio, & ipsius animi defectio: cui & qui prauis succis refertum corpus habent (non secus quam sani) in purgationibus sunt obnoxij.

DE PRAEPARATIONE AD purgationem. Cap. II.

3 *Corpora cum quispiam purgare uoluerit oportet fluida facere.* 9. 2.

Purgationi, siue ea vomitu fiat, siue alui deiectione, perpetuò debetur præparatio. Hæc autẽ perficitur humores crassos attenuando, lentos ac glutinosos incidendo, abstergẽdo: meatus verò obstructos reserando.

4 *Qui ad elleborum non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem copiosiore cibo, & quiete humectanda sunt.* 13. 4.

Cautio hic traditur in ijs adhibenda, qui elleboro per vomitum purgandi sunt. non enim debet cuipiam propinari elleborus, nisi facto prius periculo per aliquod leue & mediocre vomitorium, nũquid ille, qui sumpturus est elleborum, facilè per vomitum purgetur, necne. Quibus itaq; difficulter talis purgatio

gatio succedit, ij ante ellebori potionem præparandi sunt ad eum, quem nunc præscribit Hippocrates, modum.

DE EORVM, QVAE VACuantur, qualitate. Cap. III.

S In perturbationibus uentris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet: confert, & leuiter ferunt: sin minus, contra. Sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet; confert, & bene tolerant: sin minus, contra. Inspicere itaq; oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non. 2. I.

Vt vacuatio ipsa, quam molitur medicus, & quæ externi auxilij ope suscitatur, rectè & legitimè procedat; nonnullos canones, qui seriatim hoc loco ab ipso Hippocrate explicantur, obseruare oportet. Primùm enim in vacuationibus qualitas perpendenda, hoc est quodnam genus humoris, seu qualis humor sit vacuandus. Solus autem is, qui noxius est, quiq; corpus nostrum infestat, purgandus, et non alius. Hoc est in proposito vacuationis quali-

qualitatem considerare: Quum autem Hippocratis institutum esset hac in parte de artificiosa simul, & naturali purgatione verba facere: prius quidem de naturali, & spontina, quàm de ea, quæ Artis fit adminiculo, pertractauit. Nec temere, quando artem imitari naturam sit verisimile, non contrà. Neque verò in sola purgatione, de qua præsens est sermo, sed in omnibus simpliciter naturam rectè operantem imitari debet medicus, qui re vera non nisi eiusdem naturæ minister & est, & dicitur. Non sat autem visum fuit Hippocrati docere quodnam genus humoris esset vacuandum, sed insuper quosdam apponere voluit scopos, ad quos respiciens medicus tutius ad infestantis, & vitiosi humoris vacuationem perueniet. Sunt autem regio, anni tempus, quod præsens est, ægrotãtis ætas, & morbi species: Quibus vberioris doctrinę gratia addere possumus eum, qui in toto corpore efflorescit, colorem, præsentem temporis constitutionem, ægri temperaturam, vitæ institutum, & ipsam deniq; victus rationem.

6 *In medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia, † vtile:*

quæ

quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. 2. 4.

Rectius legendũ puto † [vtilia] in numero multitudinis, ut sit sensus: [in medicationibus talia] subaudi oportet [educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia vtilia] supple tu, esse nouimus. Nam, nõ absolutè & simpliciter naturã ipsam imitari debet medicus, sed eandem rectè operantẽ, cũ scilicet ita robusta est, vt & morbo, & causę faciẽti morbũ dominetur. Pręterea, huic nostrę lectioni annuit & Philotheus ipse in comm. cum inquit: Reliquum est igitur, ut ea, quæ excernuntur dominante natura, & vtilia sint, & spontina uocentur: utilia quidem, quoniam euacuatur id, quod superfluum est: spontina autem, quoniam excernuntur sine opera medici. Habet & [vtilia] textus antiquæ tralationis. Io. Baptista Rasarius Nouariẽsis medicus, qui totum ferè Hipp. nuper Latinum fecit, ac infinita propemodum loca tum in Gal. tum in Hippoc. illustrauit, atq; suæ integritati restituit, legit hoc loco [iuuant] quod sanè verbum ad eundem sensum commodè trahi potest. Sed hac de re satis. Galenus in comm. maluit saluare Hippocr. ne in nugationis uitium

tium prolapsus uideretur, quàm undequaq; sibijpsi constare: quũ dicat Hipp. hic loquutũ de sola purgatione, in antecedenti verò de omni vacuatione generalius: & tamen in comm. eiusdem Aphor. ex illis verbis [qualia] & [qualis,] ex verbo item [purgari] deducit aduersus quorundam sententiam de sola purgatione Hipp. ibi verba facere.

DE VACVANDORVM humorum quantitate. Cap. IIII.

7 H*abitus exercitatorum, qui ad summũ bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum verò non quiescant, neque possunt proficere in melius: reliquum est igitur, vt decidant in deterius. His de causis, bonum habitũ statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neq; compreßiones ad extremum ducendæ: (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ.*

culosæ. & rursus, refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ. 3. I.

Quod secundo loco in omni vacuatione considerandum venit, est quantitas ipsa, id est humorum vacuandorum copia, & mensura. Ad quam duas nobis intentiones præscribit Hipp. Quibus habitis non nisi rectè, legitimèq; processisse vacuationem, quam facere ausi fuerimus, audacter pronuntiare poterimus, nempe ægrotantis vires, quæ initio statim spectandæ sunt, iuxtaq; earum tenoré metienda vacuationis mésura: &, quæ vacuationem ipsam sequitur, tolerantiæ facilitaté, de qua in sequenti Aphorismo. Aegrotantis igitur vires prius diligenter sunt expédendæ. Donec enim tolerant, nec laborant, (vt Galeni doctrina, & verbis vtar) tentandú est humorem exuperantem educere: cum verò dissoluuntur vires, etiam si restent aliquę superfluitates, cauere oportet earum vacuationé. Quocirca ab immodicis vacuationibus in vniuersum summopere cauendum, vt quæ vires supra modum deijciant, quæ potius in omni morbo fouendæ sunt, ꝙ ijs labefactatis, atq; collapsis spes omnis salutis pereat. Cæterùm, quum nó minori vacet periculo immodica

dica repletio,atq; vehemens, & immoderata inanitio: (omne ſiquidem nimium eſt naturæ inimicum) vtrunq; magno ſtudio vitandum,ab immoderata repletione ſumpto initio(propoſito ad hoc boni habitus Athletarũ exemplo) ijs verbis præcipit Hippocrates: [Habitus exercitatorũ, qui ad ſummum bonitatis attingunt,periculoſi,&c.]

8 *Deiectiones nõ multitudine ſunt æſtimãdæ,ſed ſi talia deijciũtur, qualia conueniũt, & ægri facilè tolerant. Atque, vbi vſq; ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poßit tolerare.* 23. 1.

Quæ factã vacuationem ſubſequitur,tolerantiæ facilitas,argumẽto nobis eſt, quale ſimul ac quantum oportuit fuiſſe eductũ. Iſta autem tolerantiæ facilitas dignoſcitur, ſi nõ ſequatur viriũ diſſolutio,quinimo æger ſentiat ſeipſum, quàm prius, factum leuiorem. Quod attinet ad ſecundam Aphor. partem, in qua conſulit Hippoc.vbi expediat,tentandam eſſe vacuationem,quæ eò deueniat,vt ipſum ægrotãtem ad animi deliquium perducat: nouiſſe oportet,tres eſſe caſus relatos ab ipſo Galeno hac in parte, in quibus ſanè licet tantam moliri vacuationem: ſed nonniſi inte-

integris uiribus,atq; ualentibus,(vt idem sub dit Galenus)quæ tunc integræ erunt, & bene valentes,si ea adsint omnia,quorum meminit ipsemet Galenus 4.De rat. vic. in morbis acu tis. 74. virtus robusta, ætas fiorens, si sanguis abundet,si habitus corporis densior duriorq; si anni tẽpus, si cõstitutio, si ipsa deniq; regio probè cõmoderata fuerint,& tẽperata.Ego ta mẽ(etiam hisce omnibus annuẽtibus & cõsen tientibus)consulerem potius à tãta uacuatione cauẽdum esse,propter ingens, quod immi net ex ea,vitæ quidem ægrotantibus, nobis ipsis verò famæ discrimen: quamuis Galeno in artis huius operibus exercitatissimo id plerunque ex voto, animiq; sententia successisse habeamns pro comperto.

QVODNAM ANNI TEMPVS vacuandis corporibus incommodum, quodq; contrà idoneum sit. Cap. v.

9 *Sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes.* 5.4.

Tertium in omni vacuatione consideratio nis locum habet præsens anni tempus. Sunt enim duo anni tẽpora, in quibus tum purgationis,

tionis,tum etiam venę sectionis usus incómo dat,damnumq; haud mediocre affert:hyems, & ea adhuc magis æstas, potissimum verò secunda eius pars, quam canis ortus inchoat. Quod si hisce temporibus morbi necessitas urgeat,nosq; ad purgandum, vel sanguinem mittendum compellat,parcius, & nonnisi cũ sagaci præmeditatione horum alterum, aut vtrunq; tentabimus. Ver autem, utpote quòd in medio omnis excessus sit constitutum, maximè opportunũ est, siue illos, præseruare ue limus,qui adhuc quidem sani, sed ægri futuri sunt: (de quibus peculiarem hunc qui sequitur, Aphorismum conscripsit Hippoc.) siue eos curare,qui præsenti malo conflictantur.

10. *Quibuscũq; venæ sectio, vel purgatio cũ medicamento conuenit, hos vere purgare vel venam incidere oportet.* 47. 6.

Post vernum tempus Autumnus & ipse accommodus est,tum uenæ secandæ, tum vacuationi,quæ purgante fit medicamento.

QVO MORBI TEMPORE vacuare conueniat,& per quam nostri corporis regioné: quando item ab omni penitus vacuatione desistendum.

Cap. VI.

II. *Cum morbi incheant, si quid mouendum videtur, moue: cum verò consistunt, ac vigent, melius est quiescere. * Circa initia [enim] & fines, omnia imbecilliora: circa vigores verò, fortiora. 29. & 30. 2.*

Quartus scopus est affligentis morbi tempus,& materiæ facientis morbum dispositio. Nam inchoãtibus morbis si quid videtur mouendum, moue: (inquit diuinus senex)cum verò consistunt, melius est quietem habere. Item,concocta duntaxat medicãda sunt,atq; mouenda,non cruda &c. Sententia huius Apho.et sequentis totam medicorum scholam adeo turbauit,vt ij in varias,ac penè mõstrosas sectas inter se toto disidentes cœlo distracti,dispertitiq; sint. Rem vero hanc sanè per difficilem aliquando explicare aggressus tertium post Hippo.& Galenum Medicinæ fulgẽtisimum lumen Matthæus Curtius,in tan

ta controuersia dirimenda sic se gessit, vt omnes Curtio posteriores in vnius Curtij decretum conspirare coacti fuerint. Propositi itaque Aphor. germanus intellectus hic est: [cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur] nempe vel purgante medicamento, si materia turgeat: vel alioqui sanguinis missione, [moue tunc &c.] Si Aphorismus hunc in modum exponatur, omnis difficultas sublata erit, corruent omnes instātiæ, perspicua euadet sequentis Aphor. doctrina, nec ullo pacto huic, quē præ manibus habemus, aduersabitur Aphorismo. Quorum pugnantes sensus vt conciliarent nonnulli, dictu mirum quàm absurdas distinctiones excogitarint, quàm deliras & temerarias inuexerint opiniones, quàm longè demum ab Hippoc. & Galeni placitis, atq; adeo ab ipso veritatis scopo aberrauerint. Cæterùm, quòd liceat nonnunquam in morborum initiis purgare etiam num furiosa haudquaquam existente materia, vtpote sistendæ & cohibendæ fluxionis alicuius gratia, cum ad determinatam nostri corporis partem fluunt vel saltem parati sunt fluere humores: (quos etiam præstat aliquando, si nihil obstiterit, sanguinis missione reuellendo vacuare Hippoc. & Galeni decreto

creto pafsim in libr. de ratio. vict. in morbis acutis)illud profecto non demolitur eius Aphorifmi,quem nuper deftitimus explanare,fenfum & intellectum.Nec, fi ea materia, quæ reuulfionis caufa in fluxionibus purgatur,cruda(vt fieri poteft) extiterit aliquãdo, id continuò euertit Hippoc.dogma: [Concocta medicari,atq; mouere,non cruda &c.] Etenim, quod pro huius nodi folutione ab aliquibus haud fanè afpernandæ autoritatis viris dictum animaduertimus, illud idē nos quoq; & fatemur & conftanter afferimus:nẽpe Hippo. ipfum hac in parte de ea duntaxat purgatione verba facere,qua noxios in corpore humores purgare confueuimus, non autẽ fubortam quandoque fluxionem cohibere intendimus.De his verò hactenus.

I 2. *Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principijs, modo non † turgeant: plurima verò non turgent.* 2 2. I. Neotericus quidã vertit pruriant.

Materiæ itaq; difpofitio & ipfa in vacuandi ratione prænofcenda uenit. cruda nanq; (nifi turgeat)fiue pituitofa,fiue biliofa ea fuerit,vacuanda non eft,quoniam multa incommoda inde fequerentur, autore Hippo.4. de rat.vic.in morbis acutis.40. Poft concoctio-

nem verò tempeſtiuum eſt purgationẽ adhibere, quòd nimirum tũc temporis habeamus naturam ipſam vacuationi adminiculantem. Signanter dictum eſt [niſi turgeat] eo enim in caſu præſtat quod imminet diſcriminis ex turgente materia ſubterfugere, quàm coctionem, & maturationem expectare. Turgens namque materia, niſi ſtatim educatur, facilè poſſet ad aliquod princeps noſtri corporis membrum decumbere, & ita exitium afferre.

13 *In acutis paſſionibus raro, & in principÿs medicinis purgantibus vti, & hoc cũ præmeditatione faciendum.* 24. 1.

14 *Medicari in valde acutis, ſi materia turgeat, eadem die: tardare enim in talibus malum eſt.* 10. 4.

Facile eſt cuilibet vel mediocriter erudito ex dictis horũ duorum Aph. intellectũ colligere. Nam ob id raro circa principia acutorum morborum in vſum nobis ueniunt purgationes, quoniam eæ tentandæ non ſunt, niſi in caſu turgentis materiæ, plurima verò non turgent, vt dictum eſt. Quare &c.

Quæ

15 *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.* 20. 1.

Quintus scopus, in quem potissimum cõiectos oculos habeat medicus oportet, est futura naturæ crisis, & iudicatio: quæ si perfecta, & indeficiẽs fuerit, nullos nobis vel vacuandi, vel quippiam mouendi locus est reliquus. Sin minus, id, quod deficit opera nostra supplendum erit. Quæ verò, & quot requirantur ad integram, & vndequaque absolutam iudicationem, sigillatim enumerata habes apud Galenum in postrema commentarij parte.

16 *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit.* 21. 1.

Quod pro sexto, & postremo scopo nobis considerandum proponitur, est regio, siue pars, per quam facienda est vacuatio ipsa. Ad quam igitur partem ex ijs, quæ vacuationibus conferentes sunt, & accommodæ, (plures autem huiuscemodi esse nemo est, qui ambigat) noxii humores inclinant & uer-

gunt, per eandem moliri nos vacuationem expedit. Eorum autem a nobisipsis tentanda est vacuatio, quæ uel omnino non iudicatur, vel plenè haudquaquam iudicata fuere.

QVANDO PER VOMITIONES, quando verò per alui deiectionem purgandum sit: quiq; ad alterutram purgationem sint idonei, & qui secus. Cap. VII.

17 *Medicari æstate [ventres] superiores magis, hyeme uerò inferiores. 4. 4.*

18 *Graciles, & facilè vomentes purgare superius [magis] cauentes hyemem. * Vomentes verò difficulter, & mediocriter bene carnosos, per inferiora, cauentes æstatem. 6. & 7. 4.*

Hosce duos Aphor. sub numero. 18. non inepte fuisse copulatos existimabis, si rerum verborumq; affinitas spectetur, & ipsa deniq; commenti series. Quorum quidem, & trium subsequentium doctrina ex Galeni enarratione

ne clarior euadit, quàm quod ulla noſtra uel modica egere videatur explanatione.

19 *Tabidos verò, cauentes ad ſuperiores purgationes.* 8. 4.

20 *Melancholicos autem plenius per inferiores, eadem ratione contraria apponentes.* 9. 4.

21 *Quorum alui inteſtinorum læuitate laborant: hyberno tempore ſupra purgari malum.* 12. 4.

QVO PACTO TVM CIENDAE tum ſiſtendę ſint purgationes exemplo epoti ellebori. Cap. VIII.

22 *Cum biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad ſomnos verò atque quietem, minus. indicat autem nauigatio turbari motione corpus:* 14. 4.

23 *Cum volueris magis ducere elleborum, moue corpus: cum verò ſiſtere, ſomnum facito, & non moueto.* 15. 4.

Galenus, ne cuipiam videatur idem fermè ab Hippoc. fuisse repetitum, ita hos duos Aphor. continuat: prior quidem Aphor. quomodo oporteat hominem, qui elleborum sumpsit, ad purgationem præparare, nos dòcuit: præsens uerò quomodo sistere purgationem &c. Quo in loco Galenum satis mirari non possum, quum clara res sit, quòd de cienda primùm, tum de sistenda purgatione integrè nos docet vterque Aphor. Sed tamen vincat Galeni sententia, quum ea in Hippoc. gratiam cedat.

QVI SVPERIVS, QVIue per inferiora purgandi sint, signa. Cap. IX.

24 *Si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum, & tenebricosam vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit: purgatione indigere per superiora significat.* 17. 4.

25 *Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum* dolor:

dolor: purgari inferius oportere significatur. 20. 4.

26 *Supra septum transuersum dolores, purgatione indigere per superiora significant: quicunque vero inferiora molestant, per inferiora.* 18. 4.

Trium horum præcedentium Aphor. ratio pendet ex doctrina eius Aphorismi, cuius initium: [Quæ ducere oportet &c.] Secundum enim quòd repunt humores, facienda sunt vacuationes. Quod autem scribitur de doloribus supra vel infra præcordia ipsa infestantibus, non intelligatur simpliciter de omnibus doloribus: sed de ijs tãtum, qui purgationem exposcunt, quiq; per eandem sanari natura apti sunt. Sunt verò eius generis, quicunq; ab aliqua materiali causa ortum habent. Qui enim nudæ alicui intemperiei accepti ferũtur, nulla omnino egent purgatione, sed alterantibus tantum propulsantur contrarijs.

PRO-

PROGNOSTICON. Cap. x.

27 *Qui in medicamentis purgati non sitiunt: non quiescunt prius, quàm sitiant.* 19.4.

Sitis, cum euenit ob membrorum inanitionem, debitæ,& completæ vacuationis est nota. [non quiescunt] uel potius [non desinunt] scilicet excernere prius, quàm sitiant.

28 *Quæ relinquuntur in morbis post iudicium, recidiuas facere consueuerunt.* 12.2.

Galenus, & post ipsum Philotheus admonent debere præsentem Aphor. illi connecti, cuius initium: [Si quis à morbo cibum assumens non corroboratur, &c.] 2. Aphor. 8. eo quòd causam asignet necessitatis vacuationis in conualescentibus, qui cibum non appetentes pristinas uires recuperare non valent. Veruntamen, quum eius vacuationis necessitas (vel ipso Galeno teste) similiter deduci posit ex sententia decimi Aphor. eiusdem secundi lib. [Non pura corpora &c.] propositio autem Aphorismo congruentior sit hic de vacuandi ratione locus: iccirco rectius fo-

re

re existimaui, decimum quidem illum Apho. cum eo octauo copulari, hunc verò seorsim hac in parte collocari.

Primæ Sectionis Finis.

DE INSTITVENDA VICTVS FORMA,

Sectio Secunda.

PRAEFATIO.

AGgreditur nunc Hippoc. alteram Therapeuticæ partem, quam Diæteticem appellari supra monuimus. Ea verò est quæ ægris conuenientem præscribit victus formam. Vniuersa porrò victus ratio tribus capitibus est circũscripta, qualitate, quantitate, & vsus modo. In quibus rıtè & opportu ne administrandis docet hoc loco Hippocr. sumere indicationes a morbi constitutione, & viribus ęgrotantis: ad hæc autem & ab æta te, à consuetudine, anni tempore, aliisq; id genus, vt intuenti patebit. constitutionis autem morbi appellatione (ne in ignotis uersemur

mur terminis)intelligitur ea, quæ de morbis ipſis habetur contemplatio, num videlicet ij peracuti ſint,an acuti,an verò diuturni:quando item in ſuo conſiſtent uigore. Teſtis eſt Gal.1.Aphor.comm.12.

DE VICTVS QVANTITATE Cap. 1.

1 *Victus tenuis, atque exquiſitus, in paſſionibus quidem longis ſemper, in acutis vero, in quibus non conuenit, periculoſus. Et rurſus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis eſt. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues ſunt.* 4. 1.

Victus ex parte quantitatis diuiditur in tenuem,tenuiſsimum,mediocrem,& plenum. Tenuis rurſus in exquiſitè & non exquiſitè talem.Tenuiſsimus quoq, in eum, qui ad extremum deuenit tenuitatis, & in tenuiſsimum quidem,at non in extremo. Plenus igitur victus (vt hinc auſpicemur)is dicitur,qui uires ipſas potens eſt augere.Tenuis cõtrà,qui eaſdem diminuit, & diminutas conſeruat, fitq; per pauca(autore Galeno) vel parum nutriẽ-

tia

tia edulia ita, vt ad tenuem victus rationem attineant non ea tantum, quæ parum ſuapte natura alimenti præſtant, ſed & quæ plurimum alunt, dummodo in pauca quantitate & parua exhibeantur menſura. Ad quam ſane Galeni doctrinam permulti non animaduertentes ſcelus putant nefandum, ac piaculum eos cōmittere, qui in febribus cōtinuis, aut alijs morbis acutis audent ipſis ægrotantibus largiri pauxillum uel carnis contuſæ. vel chondri, vel vitelli recentis oui, & id genus aliorum, quæ tamen Galenus ipſe minimè vereatur concedere. Hic autem tenuis victus (vt iam dictum eſt) diuiditur in exquiſitè, & non exquiſitè talem. Quemadmodum tenuiſſimus in eum, qui ad extremum deuenit tenuitatis: & in tenuiſsimum quidem, non tamen in extremo. Mediocris verò, qui & modicus, is eſſe perhibetur, qui naturæ robur conſeruat, fouetq; corporis vires: non autem eaſdē vel auget, demoliturue. Haſce verò omnes victus formas miro hic perſtrinxit compendio Hippoc. Quum enim dicat primùm [victus tenuis] ac deinde ſubdat [exquiſitus] duas priores victus tenuis differentias tangit, exquiſitè (inquam) & non exquiſitè tenuis. In altera autem Apho. parte cum grauem ſtatuit

tuit esse victum, qui ad extremum deuenit tenuitatis, victum circumscribit tenuissimum, quem rursus secare licet in tenuissimum in extremo, & non in extremo. Plenum porrò victum assignat, cum immodicas damnās repletiones inquit: [nam & repletiones, quæ ad extremum &c.] Mediocrem verò subticuit quidem, sed quem facilè colligere ac inferre possis ex dictis. Nam positis extremis ipsius victus differētijs, facile est cuilibet eam, quæ in medio consistit, subintelligere. Præterea, si victus tenuis in morbis diuturnis grauis perpetuò est ac periculosus: relinquitur necessariò vt ijsdem morbis non nisi mediocris congruere dicatur, siquidem in longis morbis studemus (vt inquit Gal.) seruare vires: quod sane munus ad mediocrem attinet victus rationem. Loquuturus itaq; Hippo. de ipsa victus Quantitate sumpta indicatione à morbi cōstitutione, hoc est á natura morbi, & futuro totius morbi vigore: hoc Apho. vult edocere in quibusnam morbis victus tenuis dicatur esse periculosus, per hoc ipsum dogma cautos reddens medicos ne temere victum imperent tenuem ac tenuissimú: quando ex magnis in victu mutationibus magni & effatu digni contingant errores. Vnde verò

rò emergat, ſuboriaturvè periculum in præſcribenda tenui victus ratione, ſequens diſſerit Aphoriſmus.

2 *In tenui victu ægri delinquunt: quò fit, vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori victu. Propterea etiam ſanis periculoſus exiſtit valde tenuis, & conſtitutus, & exquiſitus victus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquiſitus, eo, qui ſit paulo plenior, magis periculoſus.* 5. 1.

Cauet his verbis Hippo. monetq́; ,ne quis abſq; diligenti trutina, & examine tenuem, atq; admodum exquiſitum præſcribat ægris victus rationem: vt quæ ægrotantium corpora ad tolerãdos innoxiè errores (ſi qui fortè vel medici culpa, vel ipſius ægroti, vel aſsidentium committantur) reddat impotentiora. Quòd ſi hanc omnino imperare cogatur quãdoq; medicus, impenſè obſeruet, ac ſtrenuè laboret, ne quis error accidat, quomodocúq; irrepere is queat.

3 *Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.* 6. 1.

Vbi

4 *Ubi igitur morbus peracutus est, statim & extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est. Ubi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior. 7. 1.*

Nisi terminum [remedia] latè alioqui patentem ad solam victus rationem contraheremus, non esset reuera eius Aphor. proprius hic locus: sed in quinta potius collocandus fuisset sectione, vbi Theoremata ad curatiuã methodum spectantia proponuntur. Extremis igitur morbis extrema adhibenda sunt remedia, ex quibus vnum est inedia, & de qua nobis futurus est sermo. Continuantur autẽ ij duo Aphorismi ad præcedẽtes hunc in modum: Quum hactenus docuerit Hippocr. in quibus morbis tenuis victus sit periculosus, nunc volens edocere in quibus ille cõueniat, hanc vniuersalem in primis assumit, statuitq; sententiam: [extremis morbis extrema remedia optima sunt] Deinde sumens quasi sub ea minorem, (sed morbus peracutus est extremus,) illius probationem statim appònit alterius Aphor. initio cum inquit: [vbi morbus

morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores,] & tandem infert concluſionem: ergo in eo extremè tenuiſsimo victu eſt vtendum. Hanc ſanè artificioſam duûm horum Aphor. connexionem explicuit Oddus quidam Patauinus, cuius commentaria in primam Aphor. Sectionem nuper in lucem prodiere. In altera verò Apho. parte cum inquit: [vbi verò non, ſed pleniorem victum, &c.] quandam tradit regulã genericã, qua cuilibet morbo non peracuto addiſcamus conuenientem adhibere victus rationem. Quanto enim morbus extremis eſt mollior, id eſt quantò magis ab acutis ſeu peracutis diſtat, tãto eius vigor remotior, & per conſequens tanto uberius adhibendus erit victus.

5 *Quando morbus in ſuo vigore conſtiterit, tunc victu tenuiſsimo vtendum eſt.* 8. I.

Viſum eſt hactenus quo pacto victus quantitatem metiri expediat ſumendo indicationem à natura ipſius morbi: reſtat nunc de eadem victus quantitate verba facere indicatione ſumpta ex futuro totius morbi vigore. Quòd verò in ſtatu ipſo victu tenuiſsimo utendum ſit, tum propter ſymptomatum magnitu-

gnitudinem, tum etiam ob morbi coctionē, in confeſſo eſt apud omnes.

6 *Quibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, ijs etiam ſtatim tenuis victus adhibendus eſt: quibus verò poſterius debet conſiſtere, iis & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud cibus ſubtrahendus: prius verò vberius victus adhibendus eſt, vt æger ſufficiat.* 10. 1.

Quodam conſequutionis modo deducitur huiuſce Aphor. ſententia ex immediatè antecedentis doctrina. Quare, perperam interpoſitus fuerat ſequens Aphor. in quo de ſpectandis ægrotantium viribus fit mentio. [Quibus igitur ſtatim morbus cōſiſtit &c.] Quod eſt perinde ac ſi dixiſſet Hippoc. Si in morbi vigore perpetuò victu eſt utendum tenuiſsimo: patet, quòd quibus ſtatim morbus conſiſtit, ijs etiam ſtatim &c. Quod ſanè quā quam ex dictis iam ſatis relinqueretur manifeſtum, idipſum tamen uoluit Hippocr. quodammodo iterare, vt nobis indicaret quanti ſit momenti vigoris morbi prænotio ad ipſam victus rationem probè inſtituendam. Quo in caſu iure meritoq; excuſandū Hipp. putat

putat Galenus.5.Aphor.comm.64. in calce. Futurum itaq; morbi vigorem prænoſſe medicum oportet,vt diſcat tantũ à victus tenuitate eſſe declinandum,quantum á ſuo vigore & ſtatu morbus ipſe.

7 *Coniectari autem oportet, an æger cum victu ſufficiat perdurare, donec morbus conſiſtat: & nunquid prius ille deficiat,nec poßit cum victu perdurare: vel morbus antea deficiat, atque hebeteſcat.* 9.1.

Ipſius victus quantitas non ſolum ex morbi conſtitutione metienda eſt, ſed et ex viribus ipſius ægrotantis.

8 *Senes facillimè ieiunium ferunt: ſecundo loco, qui ætatem conſiſtentem habent: minus adoleſcentes: omnium minimè pueri, præſertim qui inter ipſos ſunt viuidiores.*
* *Qui [enim] creſcunt, plurimum habẽt calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus abſumitur. Senibus verò parum calidi innati ineſt: paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus*

non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus. 13. *&* 14. 1.

De victus quantitate nunc verba facit sumpta indicatione ab ætatum differentia. Hæc enim ætas maiorem, illa minorem cibi exigit oblationem: pro ipsa nimirum calidi innati mensura, quæ in varijs ætatibus varia esse dignoscitur. oportet siquidem alimenta caloris multitudini proportione respondere. Illud verò ignorandum non est, quod & Galenus annotare voluit, per verbū[ieiuniū]duo nos posse intelligere: vel paucitatem ciborum, vel omnimodam inediam. Si primum, de senibus, qui extremam agunt senectam, hoc esse dictum est arbitrandum: Si alterum, de ijs solùm, qui in ipso senectutis limine sunt constituti.

9 *Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus copiosior est, vnde & pluribus egent alimentis: indicio sunt ætates, & athletæ.* 15. 1.

Expedit

Expedit & ab anni temporibus ſumere indicationem in quantitatis offerendorum ciborum electione. Qui enim calor corpora noſtra regit,& gubernat nō perpetuò,hoc eſt quouis anni tempore ijsdem omnĩno præditus eſt viribus : ſed hyeme quidem , atq; vere auctior in nobis eſt, & vegetior: æſtate verò,& Autumno exiguus,ac imminutus.

10 *Ubi alimentum præter naturam plus ingeſtum eſt, hoc malum facit: oſtendit autem [&] ſanatio. 17. 2.*

Claudit hoc ſermone Hippocr. de victus quantitate doctrinam, præcipiens uitandam eſſe ſatietatem, atq; immodicam repletionē, vt quæ multis & grauiſsimis malis nos reddat obnoxios. Quod ſcribitur in calce Aphor.ita intelligere oportet: [oſtendit autem & ſanatio] videlicet cum ipſa rei natura, quòd vbi ſupra modū corpus repletum eſt, ipſum ægrotet ſit neceſſe. [Sanatio] inquam, id eſt medela & curatio, quæ vacuatione ipſa perficitur. Quicunq; enim morbi ex repletione fiunt, (eodem Hippoc.autore) curat euacuatio &c.2.Apho.22.

DE VICTVS QVALITATE Cap. 11.

11 *Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & aliis, qui tali victu vti consueuerunt.* 16. 1.

Quæcunq; prȩter naturam(sunt autem in vniuersum tria, morbus, morbi causa, & quod morbum, velut vmbra corpus sequitur symptoma)suis contrarijs perpetuò expugnare oportet,ac demoliri. Quæ verò secundum naturam,(qualia sunt ætas uniuscuiusq;,proprium temperamentum,& ipsa deniq; adscititiam faciens naturam consuetudo) ea suis similibus cõseruare, ac fouere cõuenit.Hinc elicitur, quod passim in ore omnium versatur: Similia similibus conseruantur. Quod sanè Axioma, nisi rectè intelligatur, bonam subuerteret Medicinæ partem, ac plurimas in se concitaret easq; implacabiles controuersias. Huius porrò germanum planumq; intellectum prodit Galenus 3. Apho.comm.Aph. 3.Loquens enim de ætatibus,naturis, & morbis ipsis quomodo se habeant ad tempora, loca,& victus genera subdit, & inquit: Contrarij quidem ad contraria benè, similes autẽ

ad

ad ſimilia malè, præterquam, ſi ætas temperata & victui, & regioni, & loco temperato cōparetur: Hoc enim ſolo modo ſimiles à ſimilibus bene afficientur, &c. Cur verò Hippocr. hic victum tantum humidum febricitantibus conſulat, non etiam frigidum, quum eadem ratione illud competat, pulchra eſt diſceptatio.

DE CIBANDI VSVS MODO. Cap. III.

12 *Et quibus ſemel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora & particulatim oporteat afferre, conſiderandum. Condonandū autem aliquid tempori, ætati, & conſuetudini.* 17. 1.

Diſcretam victus quantitatem, & cibandi vſus modum, rem ſanè animaduerſione dignam proponit nunc Hippocr. medico ſcilicet contemplandum eſſe, nunquid ſiue noctu, ſiue interdiu ſemel, bis, vel etiam ſæpius cibare ægros oporteat. Item, ſiue ſemel, ſiue ſæpius, nunquid plura, vel pauciora ſint quaque vice exhibenda. Quam rem explicare, ac determinare diſtulit in eo, qui ſtatim hunc

ſequitur, Aphor. Illud tantum nos admonet hoc loco, vt ad ætatem, anni tempus, & conſuetudinem reſpicientes: his ipſis nonnihil concedamus, aliquid condonemus

13 *Aeſtate, & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè: ſecundum locum ver habet.* 18. 1.

Quibus itaq; ſemel, aut bis, quibus item plura, vel pauciora ſint offerenda, hinc perpendere, & omnino perdiſcere licet: quòd æſtate quidem & autumno (quoniam cibos difficillimè ferunt ægrotantes) ſæpius & pauca exhibere oportet: hyeme verò (quoniam facillimè) contra, raro & plura. Non eſſet autē opportunum hyeme quidem ſæpius & pauca afferre quia multiplicarentur vices ſine ulla neceſſitate: quum vis naturalis eo tempore valida exiſtens plures ſimul & ſemel conficere cibos queat. Ex his perſpicuum euadit, ꝙ licèt ad victus quantitatem præſcribendam ſumantur indicationes potiſſimum quidem à morbo, & viribus ægrotantis, ad hæc verò & ab anni tempore, ab ætate, & conſuetudine, quæ tria coindicantia potius, quàm verè indicantia dicenda ſunt: quod attinet tamen ad ciborum vſus modum, id eſt particu-

larem

larem cibandi normam, haud leuis à tempore ipſo ſumitur indicatio.

14 *In acceſsionibus abſtinere oportet: nã cibum dare nocuum eſt; &, quibus per circuitum fiunt acceſsiones, in ipſa acceſsione abſtinere oportet.* 11. 1.

Particulariũ cibi oblationum idonea tẽpora docẽt, ac nobis inſinuant ipſæ morborũ acceſſiones. Nam, neq; cũ iam adſunt neq; haud ita multò poſt affuturæ sũt acceſsiones dãdus eſt cibus: ſed cũ declinãt iam, aut omnino ceſſant. Signanter dictum eſt, [Et quibus per circuitum &c.] In quibus enim morbis hæ percircuitus minimè fiunt, hoc eſt acceſsionum ordo non ſeruatur, ratio exquiſita inueniendi temporis, quo cibus offeratur, haberi nequit.

15 *Iis, qui per circuitus acceſsionem habent, nihil dare oportet, neque cogere, ſed ſubtrahere adiectioni ante indicationes.* 19. 1.

Vel hic, vel ſuperior tanquam ſuperfluus erat reijciendus. Galenus tamen vtrunq; admittit, & vtrunq; eodem modo introducit. Tu verò diligenter conſidera.

Acceſ-

16 *Acceßiones verò, & constitutiones, morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum succeßiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed & ex iis, quæ mox apparent, indicia sumuntur; quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si verò posteà appareat, producit. Et vrinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum iudicationem, vel malam, vel breues, aut longos fore morbos ostendunt.* 12. 1.

Quum ad absolutam & integram victus rationem instituendam docuerit Hippoc. sumere indicationes à morbi constitutione, accessionibus ipsis & viribus ægrotantis: quo pacto quis valeat tum morbi constitutionem dignoscere, tum futuras accessiones prœuidere, non minus peritè & artificiosè, quàm breuiter & summatim hac oratione edocuit magnus Hippocrates.

QVAEDAM VELVTI AXIOMATA in ipsa victus ratione obseruanda. Cap. IIII.

17 *Parum deterior potus & cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus.* 38. 2.

18 *Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari.* 50. 2.

Circa ea, quæ assumuntur, vnicè & delectionis & consuetudinis habendam esse rationem ex his manifestum relinquitur. Licet autem posterior Apho. de omnibus simpliciter consuetis intelligi posit, & fortè ad hunc sensum ab ipso Hipp. exaratus fuerit: placuit tamen ipsum contrahere ad hanc materiam de victus ratione ob id, quòd si alia quapiam in re, vel maxime in assumendis consuetudo est attendenda.

19 *Vbi fames, laborandum nõ est.* 16.2.

Deficiente cibo non est exercitandum corpus, siue sanum illud fuerit, siue ægrum. Si enim quo die quis sumpturus cibum non est huic

huic labor iniungatur, viriũ dissolutionem incurrat necesse est.

20 *Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.* 7. 2.

21 *Facilius est impleri potu, quàm cibo.* 11. 2.

22 *Eorum, quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.* 18. 2.

Qui refectione indigent, alij quidem tenuiter ac non nisi longo in tempore sunt reficiendi: alij verò plenius, & celeriter. Quæ autem id efficere nata sint, hoc est quænam citissimè nutrire valeant, & quæ contrà, scitè admodum, ac compendiose nobis indicauit Hippocrates. Potus itaq; qui quidem nutriendo sunt, & ea in vniuersum quorum veloces fiunt excretiones, alijs nutriendi celebritate præstant.

PROGNOSTICON. Cap. v.

23 *Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspice-*

re oportet. Nam, si biliosæ fuerint, corpus vna ægrotat, [neque tutum est ipsum nutrire.] Si verò similes sanis: [corpus vnà non ægrotat,] & tutum est ipsum nutrire. 15.2.

In proposito casu, vbi biliosæ & his, quæ præter naturam, similc appareāt excretiones: cacochymum esse corpus, & prauis adhuc refertum esse succis testantur. Quare, haud tutum est ipsum nutrire; Non pura enim corpora (vt statim dicetur) quanto plus nutries, tanto magis lædes.

24 *Omnes ferè, qui malè se habent circa initia, bene cibati, nec quicquam proficientes; circa finem rursus cibum valde nō appetunt, qui vero circa initia cibum valde non appetunt, postea bene appetentes; ii melius euadunt.* 32.2.

Ad conualescentes attinet, hic, & duo sequentes.

25 *Si quis à morbo cibum assumens non corroboratur, plurimo alimento corpus vti significatur. Quod si non aßumente cibum hoc accidat, scire oportet, quod indiget*

eua-

euacuatione. * *Non pura [enim] corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes.* 8. & 10.2.

Quæ hic ſcribit Hippoc.non ſic accipienda ſunt,vt ea perpetuò ac neceſſario ita ſe habere credendum ſit:ſed ſufficit quòd vtplurimũ,magnaq́; ex parte id vſu veniat. Primùm enim fieri poteſt,quòd quiſpiam conualeſcẽs cibum aſſumat,nec inde priſtinas vires recuperet: & tamen in cauſa non erit cibus plus, quàm modo naturæ conueniat,ingeſtus, ſed prauorum humorum copia,ad quos conficiẽdos natura erit diſtracta. Quam vtiq; cauſam pulchre nouit Galenus ipſe 2.Aphor.comm. 32.vbi his propemodum verbis inquit: Cauſa verò, ob quam bene ab initio cibati nihil proficiant, eſt totius corporis vitium cum partium appetentium uigore. Huc poſſunt & aliæ referri cauſæ, de quibus Auic.2. 4.cap.de regimine conualeſcentis.Item, poſſibile eſt conualeſcentem reperiri, qui ab omni humorum vitio immunis exiſtens, quũ cibum non aſſumat, ad priſtinam ſanitatem redire haud poterit: & tamen nemo ſanæ mẽtis dixerit hunc vacuatione indigere: quippe is vitioſos humores(ex hypotheſi) non habet

quos vacuare neceessum sit. Quænam igitur erit huiusce affectus causa? multiplex hercle iuxta Auic.placita ea 2.4.cap.de cibatione cõ ualescentis. In his itaq; & multis alijs tũ Hippoc.tum Galenus sano modo audiendi sunt. Quod veró dicitur in secunda Aphor. parte, [Non pura corpora &c.] non omnino ambiguitate caret. Palam enim Auic.2.1. Doc.3. cap.7. de regimine eius, quod comeditur & bibitur, huic sententiæ aduersari videtur in hæc verba: Cum alicuius corpus malis fuerit repletum humoribus cum subtilitate, ipsum nutrientibus laudabilibus copiosè refice. Sic & Galenus 1.Aphor. com.17. cũ inquit: Si cũ humorum defectu vel corruptione vires validæ fuerint, tunc multos cibos atq; multotiens his, qui ita laborauerint, dabimus. Hæc verò inter se dissidentia loca vobis concilianda relinquo. Interim reliqua nostri instituti prosequar.

26 *Quibus tubercula, vel in articulis labores ex longis febribus fiunt, ii pluribus vtuntur cibis.* 45.4.

Illud [ex longis feb.] in codice, qui ex tertia Iuntarum editione circunfertur, omnino desideratur. At in vulgatiori Leoniceni interpre-

terpretatione nequaquam omissa sunt ea verba: sunt enim re vera de integritate ipsius Aphor. Quod additamentũ etiam reperies factum in codice nuperrime à Rasario emendato ac restituto.

Secundæ Sectionis Finis.

DE QVATVOR ANNI Temporibus, & eorum constitutionibus, quos videlicet morbos pariant.

Sectio Tertia.

PRAEFATIO.

Absolutis hactenus duabus Therapeuticæ partibus, de quibus ab Hippocr. in Aphorismis sermo est habitus: nũc ea, quæ de temporibus, eorumq; constitutionibus ab eodem conscripta fuere auctore, tertia hac classe complectemur. Quæ in duas distribuitur partes. Prior quidem erit de temporibus: altera verò de ipsorum temporum constitutionibus. Et hæc pars secunda bipartitò

rursus secatur, prout & ipsæ constitutiones dupliciter considerantur, vt simplices, & vt compositæ. Compositas nunc vocamus constitutiones, duorum, vel plurium temporum inuicem connexas alterationes & temperaturas: vt, cum hyemem supponimus siccam & aquiloniam iunctam veri pluuioso & australi, quæ nimirum constitutio æstate subsequēte febres inducit acutas, lippitudines, &c. Ac priorem quidem simplices, secundum verò cōpositæ sibi vēdicabunt locum. Est enim natura atq; doctrina prius simplex composito. 3. Aphor. comm. 15. Nouisse autem oportet, longè plures esse Constitutionum differentias, quàm meminerit Hippocr. in Aphorismis. Qui igitur pleniorem de his tractationem exquirit, libellum adeat, cui idem Hippoc. titulum fecit de Aquis, locis, & aëre: item, primum de morbis vulg. cum luculenta Galeni enarratione. De temporibus ipsis illud tantum hic obiter subscribam, videlicet quòd ortus Pleïadum æstati, occasus verò hyemi initium facit. Arcturus oriens Autumnū: Aequinoctium, quod hyemem sequitur, Ver ipsum inchoat. 3. Aphoris. comm. 14. Sed hæc ipsa Astrologis potius discutienda relinquamus.

terpretatione nequaquam omissa sunt ea verba: sunt enim re vera de integritate ipsius Aphor. Quod additamentũ etiam reperies factum in codice nuperrime à Rasario emendato ac restituto.

Secundæ Sectionis Finis.

DE QVATVOR ANNI Temporibus, & eorum constitutionibus, quos videlicet morbos pariant.

Sectio Tertia.

PRAEFATIO.

ABsolutis hactenus duabus Therapeuticæ partibus, de quibus ab Hippocr. in Aphorismis sermo est habitus: nũc ea, quæ de temporibus, eorumq; constitutionibus ab eodem conscripta fuere auctore, tertia hac classe complectemur. Quæ in duas distribuitur partes. Prior quidem erit de temporibus: altera verò de ipsorum temporum constitutionibus. Et hæc pars secunda bipartitò rursus

rursus secatur, prout & ipsæ constitutiones dupliciter considerantur, vt simplices, & vt compositæ. Compositas nunc vocamus constitutiones, duorum, vel plurium temporum inuicem connexas alterationes & temperaturas: vt, cum hyemem supponimus siccam & aquiloniam iunctam veri pluuioso & australi, quæ nimirum constitutio æstate subsequẽte febres inducit acutas, lippitudines, &c. Ac priorem quidem simplices, secundum verò cõpositæ sibi vẽdicabunt locum. Est enim natura atq; doctrina prius simplex composito. 3. Aphor. comm. 15. Nouisse autem oportet, longè plures esse Constitutionum differentias, quàm meminerit Hippocr. in Aphorismis. Qui igitur pleniorem de his tractationem exquirit, libellum adeat, cui idem Hippoc. titulum fecit de Aquis, locis, & aëre: item, primum de morbis vulg. cum luculenta Galeni enarratione. De temporibus ipsis illud tantum hic obiter subscribam, videlicet quòd ortus Pleïadũm æstati, occasus verò hyemi initium facit. Arcturus oriens Autumnũ: Aequinoctium, quod hyemem sequitur, Ver ipsum inchoat. 3. Aphoris. comm. 14. Sed hæc ipsa Astrologis potius discutienda relinquamus.

DE QVATVOR ANNI Temporibus in genere: Cap. I.

1 *Per tempora anni, vere quidem [adolescentes, & prima aestate pueri] optimè degunt, & sani sunt maximè: æstate verò & autumno vsq; ad aliquid, senes: reliquum, et hyeme, qui mediam ætatem habēt.* 18. 3.

2 *Naturarū, hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem, bene, maleuè se habent.* 2. 3.

3 *Morbi quoq;, [& ætates, alij ad alia tempora & loca, & victus genera, bene, maleuè se habent.]* 3. 3.

4 *In constantibus temporibus, cum tempestiuè tempestiua redduntur, morbi constantes, et boni iudicij fiunt: in inconstantibus autem, inconstantes, & mali iudicii.* 8. 3.

5 *Aestiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.* 25. 2.

Habita

Habita febris ratione poterat hic Aphor. in ſeptima Sectione in cap. De febribus conſcribi. Verùm, quoniam agitur hoc loco de quartana in ordine,& reſpectu ad ipſa tempora, ideo &c.

DE IISDEM SIGILLATIM, ET primùm quidem de vere. Cap. II.

6 † *Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibuſdam ipſorum & fiunt, & excitantur.* * *Vere etenim furores, & atræ biles, et morbi comitiales, & profluuia ſanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & tuſſes, & lepræ, & impetigines, & vitiligines, & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi. 19. et 20 3.*

† Quum hic ad ſequentes ſe habeat ut Procemium quoddam, haud ab re nobis viſum fuit cum eo, qui ſequitur immediate, illum copulare. Nec ad hoc parum me mouit particula [etenim] alterius Aphoriſ. initio ſtatim appoſita.

DE AESTATE.
Cap. III.

7 *Aestate autem nonnulli horum, et febres continuæ, et ardentes, et tertianæ febres plurimæ, et quartanæ, et vomitus, et alui profluuia, et lippitudines, et aurium dolores, et oris vlcerationes, et genitalium putredines, et sudamina.* 21.3.

DE AVTVMNO.
Cap. IIII.

8 *Autumno verò et multi æstiui morbi fiunt, et febres quartanæ, et erraticæ, et lienes, aquæ inter cutem, et tabes, et stillicidia vrinæ, et difficultates intestinorum, et læuitates intestinorum, et coxendicum dolores, et anginæ, et anhelationes, (quas Greci asthmata vocant) et ilei, et morbi comitiales, et furores, et melancholiæ.* 22.3.

9 *Autumnus tabidis malus.* 10.3.

De

DE HYEMB.
Cap. v.

10 *Hyeme verò morbi laterales, et pulmonis inflammationes, grauedines, atq; raucedines, tusses, dolores pectoris, et laterum, atq; lumborum, capitis dolores, vertigines, et apoplexiæ.23.3.*

DE VERE RVRSVS, & Autumno. Cap. VI.

11 *Dolores podagrici vere, et autumno magna ex parte mouentur.55.6.*

12 *Autumno morbi acutissimi, atque exitiales, maxima ex parte. ver autem saluberrimum, et minime exitiale.9.3.*

DE TEMPORVM CONstitutionibus, & primùm quidem de simplicibus. Cap. VII.

13 *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos: et in quibusdam temporibus*

magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris: et alia pro ratione, eodem modo. 1.3.

Galenus in commento nititur probare ad uersus quorundam sententiam, quòd Hippo. per [mutationes] non succeßiones temporum intellexerit: sed alterationes, quæ fiunt in ipsis temporibus, idq; propter illud verbum, [potißimum] quod initio Aphor. est appositum. Quum enim, inquit, temporum succeßiones non minus soluant, quàm pariant morbos, si per [mutationes] ipsorum temporum succeßiones intellexisset Hippo. certè dictionem hanc [potißimum] non apposuisset. Ego verò vnum addo pro astruenda, & roboranda Galeni interpretatione, nẽpe hoc idem præter vocem illam [potißimũ] iam tertiò repetitam satis superq; constare ex eo, quod statim subdit Hipp. [Et in quibusdam anni temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, &c.] Quid aliud quæso, per magnas mutationes, aut frigoris, aut caloris in quibusdam anni temporibus contingentes intelligi potest, quàm alterationes, quæ in ijsdem ipsis fiunt temporibus? Quòd si tu dicas, Hippocr. per [mutationes] hîc vnum voluisse, ibi verò in capite Aphor.

aliud:contra, ergo æquiuoco nomine vſus eſſet Hipp.in eadem ſententia,quod eſt vel cogitatu abſurdum.

14 *Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes. Quando huiuſcemodi tempeſtas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At, ſi aquilonia fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, coſtarum dolores, et pectoris. Quando hæc tempeſtas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.* 5. 3.

15 *Quotidianæ autem conſtitutiones, aquiloniae quidem corpora denſant, et bene firma, et bene mobilia, bene colorata, et melius audientia faciunt, et aluos exiccant, oculos mordent, et, ſi pectus dolor aliquis prius obſederit, dolorem augent. Auſtrinae [humectant, et ob hoc diſſoluunt corpora,] auditum obtundunt, capita aggrauant, et vertigines faciunt, oculis atq; corporibus difficilem motum praeſtant, et aluos humectant.* 17. 3.

In eo, qui hunc antecedit, Aphor. mala dũtaxat, quæ ex Austrinis, & Aquiloniis proficiscuntur constitutionibus, enumerauit Hipp. In hoc verò recenset bona, quæ affert eadem Aquilonia constitutio, cum hæc ipsa viget: paucis quibusdam, ijsq; leuibus malis (collatione facta ad ea, quæ Austrum sequuntur) annexis. Bona autem, quæ Auster spirans afferat, nulla retulit Hippocr. vt qui vndequaq; malus sit, & morbosus. Omnium enim aeris temperamẽtorum pessimum id existit, quod calidum, & humidum, auctore Gal. in 1. de tẽperamentis.

16 *Ex anni autem constitutionibus (quod in totum dixerim) siccitates imbribus sunt salubriores, et minus mortiferæ.* 15.3.

17 *In siccitatibus febres acutæ fiunt: et, si annus magna ex parte talis fuerit: qualem fecerit constitutionem, tales magna ex parte morbos oportet expectare.* 7.3.

Quoniam visus fuit Hippo. in his duobus Aphor. pugnantia dicere; iccirco Galenus, vt apparentem tolleret contradictionem, ita posteriorem Aphorismum exponit: Nõ multas ait febres in siccitatibus fieri, sed acutas. Hæc

ille. At, meo iudicio, nō uidetur ob hoc sublata difficultas. Licet enim ſicca tēpora pauciores numero pariant febres, quàm pluuioſa: verùm, quia acutiores, ideo & periculoſiores, (quod & ſenſit Philotheus, qui poſtremis illis verbis contextus: [&, ſi annus magna ex parte talis fuerit &c.] ſubdit: acutos, & periculoſos) Cuius tamē oppoſitum ab eodem Hippoc. prius fuit dictum, cum ſtatuit ex vniuerſis anni conſtitutionibus ſiccitates eſſe imbribus ſalubriores, & minus mortiferas.

18 *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longae, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, et anginæ.* In [*immodicis*] *autem ſiccitatibus,* [*lippitudines tabidæ,*] *articulorum morbi, ſtillicidia vrinae, & difficultates inteſtinorum.* 16.3.

Secunda huius Aphor. pars non caret obſcuritate, niſi eas adhibueris diſtinctiones, de quibus fuſius in commento Galenus.

19 *In temporibus, quando eadem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.* 4.3.

Quando

20 *Quando aestas fit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.* 6.3.

Aestatem re vera talis temperatura experti sumus Anno ab Auctoris nostræ salutis ortu. 1560. Et memini tunc in febribus multos cōtigisse sudores. Cuius rei euentum cum medicus quidam haud sanè obscuri nominis (quicum actum practicum eo tēpore exercebam) admiraretur, hac eadem prænuntiatiua Hipp. sententia à nobis in medium producta mirari statim desijt.

DE COMPOSITIS CONSTITVtionibus. Cap. VIII.

21 *De Temporibus, si quidem hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum, et australe, necesse est aestate febres acutas fieri, & lippitudines (Graeci ophthalmias vocant) & intestinorum difficultates, praecipuè verò mulieribus, et viris, qui natura sunt humidiores.* 11 3.

22 *Si verò hyems australis, et pluuiosa † fuerit, ver autem siccum, et aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver inest, ex quacunque*

que occasione abortiunt: quae verò parient, imbecilles, et morbidos infantes parient: Quare, vel statim intereunt, vel tenues, et valetudinarij viuunt. Caeteris verò mortalibus difficultates intestinorum, et lippitudines siccae fiunt: senioribus autē destillationes, quae cito interiment. 12.3.

† In Græco exemplari interiacet dictio [εὔδιος] quam aliqui serenam, aliqui tepidam, alij clementem interpretantur. Mihi verò magis arridet, vt expungatur: & re vera lectio hæc Galeni commento est cōgruentior, tum quia de ea dictione ne verbum quidem fit in toto eo commento: tum etiam propterea quòd Galenus ipse talem hic supponit hyemem, quale in antecedenti Aph. erat ver, quod ibi descriptum fuit pluuiosum tantùm & australe.

23 *Si vero aestas sicca fuerit, et aquilonia, autumnus verò pluuiosus, & australis; dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque grauedines: quibusdam autem et tabes. * Si vero aquilonius, & siccus, iis, qui naturam habent humidiorem,*

&

et mulieribus confert; reliquis autem erunt lippitudines siccæ & febres acutae, et grauedines, nonnullis vero et atrae biles. 13. et 14. 3.

Quidam alioqui haud contemnendæ autoritatis Medici quum vellent causas perscrutari, vnde tot tusses, tot capitis dolores, tot demum raucedines, atq; grauedines (quæ mala hoc anno. 1562. ineunte hyeme per totã ferè Europam, graui nimis Mortalium damno, grassari visa sunt) ortum traherent: mera ac penè ridicula excogitarũt somnia. Qui si tempestatem hanc, seu temporis constitutionem ab Hipp. in prima Aphor. parte descriptam tantillum olfecissent, ac primis duntaxat labris degustassent, rẽ ipsam acu (quod dici solet) tetigissent omnino. Neq; in re vel luce meridiana clariori adeò cæcutissent. Quòd autem æstas præcesserit sicca, eidemq; autumnus successerit pluuiosus, nemo est qui hoc ipsum ingenuè non fateatur.

Tertiæ Sectionis Finis.

DE AETATIBVS, QVAE quibus morbis ſint obnoxiæ,

Sectio Quarta.

PRAEFATIO.

AEtas, qua quidẽ voce nobis deſignatur totius humanæ vitæ periodus, nõ vna in ſingulis eſſe dignoſcitur, ſed multiplex: variè tamen ab autoribus ad varia reſpicientibus diuiſa, ac diſtributa. Hipp. 1. Apho. 13. ad ieiunij tolerantiam reſpiciens ætates quaternario numero abſoluit, complectiturq́;. Primo loco ſtatuit ſenium, ſecundo cõſiſtentiæ ætatem, tertio adoleſcentiam ipſam quarto demum pueritiam. Idem verò 3. Aph. a 24. infra ad morborum generationem ſuæ mentis dirigens intuitum, prout videlicet contingit alias ætates alijs morbis eſſe obnoxias, longè plures ſtatuit ætatum differentias. Auic. 1. 1. Doc. 3. cap. 3. ætatem primùm quadripartitò diuiſam reliquit dicens. Aetates omnes ſunt quatuor &c. Deinde primam ætatem, quæ adoleſcentia eſt, ſubdiuidit, ac in partes quinque diſtribuit, in infantiam,

dentium

dentium plantatiuam,quam ipſe appellat, et concuſsionis ætatem , &c. De quibus ſigillatim Hippocr.loco paulò ante citato,& à qua Aphoriſmorum ſerie noſtram hanc ſequenté auſpicati ſumus Sectionem .

DE PRIMA AETATE, ID EST de recens natis puerulis ſiue Infantibus. Cap. I.

1 *In aetatibus autem talia contingunt:paruis , et nuper natis puerulis oris vlcera , (quae aphthae vocantur) vomitus , tuſſes , vigiliae , pauores , vmbilici inflammationes , aurium humiditates.* 24. 3.

DE SECVNDA AETATE, IN qua Pueri iam dentire incipiunt: incipiunt autem ferè menſe ſeptimo. Cap. II.

2 *In progreſſu vero, cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines , febres , conuulſiones , alui profluuia : & maximè cum caninos edunt dentes ; & ijs praeſertim pueris,*

ris, qui craßißimi sunt, et aluos duras habent. 25. 3.

DE TERTIA AETATE, QVAE ad duodecimum vsq; annum progreditur. Cap. III.

3 *Cum vero iam magis adoleuerint, tonsillae, et vertebrae, quae in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos Graeci asthmata vocant, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucae, quas Graeci acrochordonas vocant, satyriae, strumae, et alia tubercula, sed praecipuè antedicta:* 26. 3.

DE QVARTA AETATE Pubertati proxima, quæ ad quartum decimum annum extenditur. Cap. IIII.

4 *Grandioribus autem, et iam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, et febres diuturnae magis, et ex naribus profluuia sanguinis.* 27. 3.

De

DE QVINTA ET SEXTA ætatibus, nempe Adoleſcentia,& Iuuentute ipſa. Cap. v.

5 *Tabes fiunt maximè aetatibus à decimo octauo uſque ad trigeſimum quintum.* 9.5.
6 *Iuuenibus autem ſanguinis ſpuitiones, tabes, morbus comitialis, et alij, ſed praecipuè* [*ardentes, et tertianae febres.*] 29.3.

Fortè hoc loco Hippocr. Puberum, atque Adoleſcentium ætates prætermiſit, quòd hæ ſanè in multis affectionibus cum ætatibus vtrinq; adiacentibus communicent: de Adoleſcentia quidem illud ſolum ſtatuens, quòd ea cum iuuentute ipſa tabi maximè dicatur eſſe obnoxia, cum dicit: [Tabes fiunt maximè ætatibus &c.] Ita verò ſe habent Pubertas & Adoleſcentia, quòd Pubertas à decimoquarto vſque ad vigeſimum quintum perdurans Adoleſcentiam ſub ſe complectitur, quæ à decimo octauo initium capit. Iuuentus autem, quæ & virilis, & florens, & conſiſtentiæ ætas appellatur (his enim, & tot nominibus inſignitur) a vigeſimo quinto vſque ad

tri-

trigeſimũ quintum protrahitur. Quoniam itaq; eo annorum numero videlicet a 18. vſq; ad 35. non vna tantum circunſcribitur ætas, iccirco dixit Hippoc. [ætatibus] in numero multitudinis. Vnũ eſt hic animaduerſione dignũ ꝙ (vt ſentit Gal.) tabes non dicuntur fieri ſecundum propriam earum ætatum rationem, ſed ex accidenti, ob incontinentiam videlicet, & multa alia, quæ illis ætatibus ſiniſtrè euenire ſolent. Atqui Philotheus tabem per ſe, & ſecundum propriam earum ætatum rationem atq; naturam aduenire etiam poſſe contendit, quãdo eius mali ortum cauſamuè refert in ſanguinis tum copiam, tum biliosiorem temperaturam.

DE SEPTIMA AETATE, quæ eſt declinantium, & prima ſenectus dici poteſt. Cap. VI.

7 *Vltra hanc ætatem aſthmata, id eſt crebri anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, [melãcholiæ,] ardores, diuturna profluuia, choleræ, difficultates inteſtinorum, læuitates inteſtinorum, hæmorrhoides.* 30.3.

DE OCTAVA ET POstrema ætate, quæ senium, & senecta, siue senectus dicitur. Cap. VII.

8 *Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, vrinæ stillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum, & nariũ humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graues.* 31. 3.

Oculorum, & narium humiditates fieri in senibus propter magnum recrementorum aceruum, quem ea ætas ex imbecillo calore procreat, & parit: vnum est eorum, quæ omnibus pro confesso habentur. Sed fortè controuersia oriri posset de ipsius alui humiditatibus, quę inter proprias senilis ætatis passiones non videntur iure posse reponi, & collocari: quandò alui senescentibus magna ex parte exiccentur, eodem Hippocr. auctore 2. Aphor. 53. Quòd si tu dicas, haudquaquam pro absurdo esse habendum si & eorum meminerit

minerit hoc loco Hipp. quæ quandoq;, licèt non sæpius, ipsis senibus aduenire possunt: cur ergo (inquam) somnolétiæ simul nō meminit, cui nonnunquam senes & quidem magnopere sunt obnoxij, si quando contingat multas in cerebro pituitosas superfluitates aggregari, neque debitè excerni per propria ipsius cerebri emissaria?

PROGNOSTICON. Cap. VIII.

9 *Plurimæ autem [diutinæ] passiones Puerulis iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in septem mensibus, nonnullæ verò in annis septem, quædam vero iam ad pubem accedentibus. Quæ verò permanserint, nec in pubertate finierint puerulis, aut fœminis, cum menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt.* 28. 3.

10 *Puer podagra non laborat ante vsum venereorum.* 30. 6.

11 *Quibuscunq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem, [in eius ætatis tempore]*

mutationem accipiunt: Quibuscunq; autem vigesimo quinto, [& vltra] commoriuntur. 7. 5.

Hunc Aphor. Galenus suo modo totum immutauit, nobis verò placuit seruata eadem Hippoc. phrasi, ac contextus forma, quod ad integram ipsius veritatem deesse videbatur, vnius, & alterius tantùm verbi additione supplere. Mutationis autem appellatione hic impropriè & satis abusiuè vsus est Hipp. pro solutione siue curatione. Quũ verò morbus comitialis ex crasso, frigido, & pituitoso humore ortum habeat cerebri ventriculos obstruẽte (loquimur autem hoc loco de prima eius mali specie, quæ fit primogenio, primariouè cerebri affectu) clara res est, siquidem contraria contrarijs perpetuò curentur, quòd eius medela perficitur ex idoneo calfacientium et exiccantium vsu. Aetas itaq; ad calidiorem & ficciorem statum vergens, loca item, anni tempora, & ipsa deniq; victus ratio ætati proportionalia omnino huic affectioni erunt præsidio. At Hippoc. in præsenti Aphor. eius auxilij solùm meminit, quod fit merito ipsius ætatis. In eo verò, qui hũc statim sequitur, non huius duntaxat, sed & temporum, & lo

corum

corum,& victuum quoq; fecit mentionem.
Quibuscunq; igitur morbi comitiales fiunt ante pubertatem, in eius pubertatis tempore [mutationem] id est, sanationem & medelam recipiunt: (concurrentibus ad hæc alijs idoneis remedijs) Quibuscunq; autem vigesimo quinto, & vltra hunc terminū eueniūt, [commoriuntur] hoc est, omnino permanent nullam ex ætatis permutatione sanationem admittentes: licet non eat inficias, quin posint alijs auxiliorum generibus tolli & persanari. An autem verū hoc sit, quòd morbi comitiales, qui vigesimo quinto vel ultra eueniunt, curationem subire nequeant merito (inquam) ætatis, quum Iuuentus, quæ trigesimum quintum annum attingit, sua calida & sicca temperatura non minorem uim habeat ad hunc morbum profligandū, quàm pubertas ipsa: Quomodo item hoc ipsum non pugnet cum sequenti Aphor. in quo decernit Hippoc. Iuuenes morbo comitiali correptos cum ætatis, tum etiam temporum, locorum, & victuum mutatione liberari; vestrū erit iudicare.

12 *Quicunq; Iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & tempo*

 rum,

rum, & locorum, & victuum quoq; liberantur. 45.2.

13 *Quicunq; aluos humidas habent, si quidem Iuuenes fuerint, melius degunt ijs, qui siccas habent. Ad senectam verò deterius degunt: nam senescẽtibus magna ex parte exiccantur.* 53.2.

14 *Magnitudo corporis, Iuuentæ quidem neque indecens, neque illiberalis: senectæ verò inutilis, & deterior paruitate.* 54.2.

Magnitudinis vocabulo lõgitudinem hic solam intelligere oportet.

15 *Senes Iuuenibus magna ex parte ægrotant minus. Qui verò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem. *Raucedines [igitur] & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt.* 39. & 40.2.

Verba Galeni in comm. prioris partis huius Aphor. quæ habent: & omnes morbi diuturni frigidi sunt &c. Quibus affinia sunt & illa, quæ habentur 2. Aphor. cõm. Aphor. 19. hunc in modum: Morbi verò longi ob crassos, lentos, ac frigidos fiunt humores, qui nõ facile

facilè concoqui possunt &c. Non parum studiosorum animos torquent. Nam his manifestè aduersatur Galeni locus Quinto in sextũ de morbis vulg. 6. Vbi idem Galenus quosdã recenset diuturnos morbos à causa tamen calida ortum habentes, cephalæas, inquam, calidas, calidos renum affectus, & articulorũ dolores. Quòd autem cephalæa in primis diuturnus sit & ægrè cedens morbus, nemo est qui ambigat.

16 *Renum, & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur. 6. 6.*

Est & hoc vnum exemplum eius, quod de ipsis senibus dictum fuit ab Hippoc. prius in hæc verba; qui verò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

APPENDIX.

Sequuntur alij quidam Aphoristici sensus De tuenda Puerorum bona valetudine, qui huic materiæ De ætatibus colophonem addunt, & veluti extremam manum imponũt.

I

Quoniam eius naturam, quo nutrimur, sapimus: bonorum morum Nutrix, bonæq; eucrasiæ, ac mediocris ætatis semper est eligenda.

II.

Bono cibo nutrices si nutriantur, boni chymi lac generant, quod crescendo dat bonos ipsi nutrito succos.

III.

Solo lacte pascendus est infans, vsque quo dentes anteriores producat.

IIII.

Quum ex eodem simus, & nutriamur, lac maternum sanguinis consueti, atque cogniti ali-

alimonia genitum, lactibus cæteris naturæ infantis conformius existit.

V.

Vt hædi lacte ouino nutriti pilum gignũt teneriorem: & agni lacte caprarum aliti lanã ferunt duriorẽ: sic nati matribus alienis educati à proprijs matrum naturis multum discrepant.

VI.

Qui suos partus deserunt, ablegantq; à se se, & alijs nutriendos dedunt, vinculum, coagulumq; animi, atque amoris, quo Parentes cum filijs Natura consociat, intercîdunt, atq; diluunt.

VII.

Infantis aliorsum dati, facta est ex oculis eius amolitio: vigor enim ille maternæ flagrantiæ sensim atque paulatim extinguitur, ipsiusq; affectio animi, atque amoris in ea sola, vnde alitur, occupatur: & matris, quæ genuit, neque sensum vllum, neque desiderium capit.

VIII.

Moderatus fletus ante Pueri lactationem ad membra spiritalia dilatanda, cæteraq; confortanda, ad caput purgandum conuenit.

IX.

Pueri mense septimo dentire incipiunt; dentiunt verò citius, qui lac calidius sugunt.

X.

Quum ignem igni addere non liceat, eucratus Puer ad plurimum vsque, aut eius nutrix nequaquàm vinum gustare debet: quoniam sufficienter calefacit corpus, caputq; vaporibus replet, atque in his furiam quandoque, & maniam irritat.

XI.

Puer a septem annis ad quatuordecim vsque, nec multis, nec violentis est prouocandus gymnasijs, ne eius augmentum talibus impediatur: tūc enim eius animus bonis moribus, & honestis ornandus est disciplinis.

XII.

Animi mores corrumpuntur malis consuetudinibus, ex cibis, ac potibus, & gymnasijs, inspectionibus, auditionibus, & a mala musica.

XIII.

Multi multis annis ęgrotantes propter malam consuetudinem, contraria motuū ipsius animæ immoderatione curantur.

XIIII.

Diligentia multa studēdum est, ne vllum animi

animi immoderatum motum ad tertium annum vſque, cum corpore. Paruuli patiantur. Ea propter nutricem oportet eſſe prudẽtem, & conſuetudinis pueri expertam.

XV.

Neceſſe eſt calere corpus, quod adoleſcit, & ad vires, & incrementum tendit: viceuerſa, illud ſupra modum frigere, cum cœperit aboleri, & tanq̃ maturum, atque caducum in ruinam præceps feſtinare.

XVI.

Vinum, & ceruiſia inimica ſunt Pueris: nam eorum capita malo vapore replent, & calefaciendo mentem eorum perturbant.

XVII.

Infantium dolores tribus modis leuãtur, nutricis papilla ori eorum appoſita, motuq; medioeri, & vocis modulamine.

XVIII.

Quibus infantibus aluus ſiccata eſt, hanc, quantum eſt cicer vnum terebinthinæ, aut mellis vncia ſoluit.

XIX.

Rubrus corallus Infantium lactentiũ collo appenſus ad os vſque ventriculi deueniẽs, lactis vomitum prohibet, roboratq; horum coctionem.

Ne quis sua fraudetur gloria, & honore, hos quidem Pueris congruẽtes Aphoristicos sermones ex varijs Autoribus congestos in lucem ante nos pridem edidit Sebastianus quidam Austrius Rubeaquensis in suo de Puerorum morbis, & symptomatis tum dignoscendis, tum curandis Libello, qui Medicinæ studiosis praxim (vt vocant) exercentibus admodum vtilis est in ea, quam pollicetur & tractat, materia.

Quarta Sectionis Finis.

DE QVORVNDAM MORBOrum, & ſymptomatum tum cauſis tùm curationibus.

Sectio Quinta.

PRAEFATIO.

Extat de vſu humidorum Hipp. Liber, vbi de calidi, & frigidi ſimul moderato, immodicoq; vſu doctrinam nobis tradidit uberiorem. Quæ igitur latius ibi, ac diſtinctius proſequutus fuit, hic in prima videlicet Sectionis huius parte veluti per capita, & ſummatim paucis quibuſdam Aphoriſmis perſtrinxit: docens nimirum quas vtilitates, quæ item mala afferant tum calidum, tum frigidum extrinſecus corpori noſtro admota, à calido, tanquam ab eo, quod magis eſt actiuum, ſuam exorſus orationem. Quintam verò hanc ſectionem illis in vniuerſum Aphor. dicatam volumus, quicunq; ſalubres, morboſasuè cauſas promiſcuè in ſeipſis continent, curatiuæq; artis Theoremata pandunt.

DE CALIDO.
Cap. 1.

1 *Calidum, ubi quis sæpius eo vtatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiã, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectiones: hæc, ad quæ mors. 16. 5.*

Galeno asserenti in comm. Fœminam viro debiliorem super eo verbo [effœminationem] contradicit Hippoc. contextus in 1. de passionibus Mulierum, quo in loco habetur expresse, quòd mulier sanguinem habet calidiorem, & propterea calidior est, quàm vir. Ex quo nimirum consequitur, vt viris ipsis fœminæ dicantur esse fortiores: quandoquidem ex calidiori temperatura vires manare robustiores sit verisimile. Contra verò Hippocratem marem esse fœmina calidiorem palam asserit Galenus 7. & 14. De vsu partium. Nec sibijpsi satis constare videtur Hipp. quũ in libello de Genitura inscripto marem fœmina statuat fortiorem. Cuius tamen oppositum deductum prius fuit in eo de morbis mulieb. loco paulò ante citato. Ego dubitationis

tationis locum tetigi: controuersiam vos dirimatis.

2 *Calidum suppuratorium, non in omni vlcere magnum ad securitatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat: & ex ijs, quæ ad caput attinent, eius soluit grauitatem. Plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè, eorumq; maximè, qui in capite vlcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, vtero, vesicæ. His calidum, amicum & iudicans: frigidum, inimicum & perimens.* 22 5.

3 *Quæcunq; refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis ijs, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.* 19. 5.

4 *Si frebris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris.* 42. 7.

DE FRIGIDO. Cap. 11.

5 *Frigidum autem [immodicum] conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles*: 17. 5.

Nescio profectò quî putet Galenus, hunc Aphor. rectius ita efferri: [rigores facientes & conuulsiones, & distentiones, & liuores, & febres.] Nam videtur mihi hæc scriptura germanum Aphor. sensum omnino peruertere: quid enim hoc est dicere, a frigido nempe excitari rigores facientes conuulsiones, distent. &c? rigores demum a febribus seiungit, quos paulò ante copulauerat in hunc modum: rigores febres aduocantes. Satius itaq; visum fuit in hoc Aphor. seriem, phrasimq; Hippocraticam seruare.

6 *Frigidum, inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò vtile.* 18. 5.

7 *Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit.* † 20. 5.

Si frigidum mordax, quomodo igitur & calidum? nisi idem effectus a duobus con-

trarijs

trariis induci queat? Quod profecto haud inconuenit, si dicamus diuersa ratione posse id contingere. Mordicationem autem fieri tum à calido, tum à frigido auctor est Galenus in 4. de simpl. med. facultatibus. † Hîc verò deleuimus, quæ sequuntur in Apho. iuxta vulgatæ editionis seriem & scripturam: quoniam de illis eisdem integer extat Apho. quintam sectionis huius obtinens sedem.

8 *Est autem, ubi in distentione [quemadmodum & in omni alia conuulsione] sine vlceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat. Calor autem hæc soluit.* 21. 5.

9 *In his frigido vtendum, vnde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa vnde influit: & quæcunq; inflammationes vel inflammina ad rubrum, & subcruentum sanguine recenti tendunt: nam veteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non vlceratum iuuat: nam exulceratum lædit.* 23. 5.

10 *Tumores articulorum, atque dolores absque vlcere, & podagricos quoque, atque conuulsa, horum plurima, frigida aqua largè effusa leuat, & extenuat soluitq; dolorem. Nam modicus torpor dolorem soluit.* 25.5.

11 *Frigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinē, & destillationes.* 24.5.

12 *Aqua, quæ cito calefit, & cito refrigeratur, leuissima est.* 26.5.

Hactenus de vsu aquæ calidæ & frigidæ, nunc postremò subnectit quoddam bonitatis aquæ sanè q̄ artificiosum iudicium: si cito caleat, & cito refrigeretur. Talis nanque leuissima est, id est ventrem minimè grauat, ac cito permeat.

DE CAVSIS MORBOSIS, ET SAlubribus sigillatim; & primùm quidem de morbosis. Cap. III.

13 *Conuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione: ita verò & singultus* 39.6.

14 *Sternutamentum fit ex capite, calefa. ᵭo cerebro, aut humectato eo, quod est in capite, inani. Aer enim intus contentus extra erumpit; ſonat autem, quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus.* 51. 7.

In hiſce poſterioris Aphor. verbis, [calefa-ᵭo cerebro, aut humectato] duas innuit Hipp. ſternutamenti ex capite euenientis cauſas, efficiẽtem vnam nempe calorem ipſum, materialem alteram humorem, qui nimirũ a calore attenuatus & rarefactus in flatum conuertitur. neſcio igitur quo pacto Galeno viſa fuerit ſuperuacanea particula illa [humectato.] Quem Galeni locum miror expoſitores clariſsimos ſic ſicco pede, & conniuentibus oculis prætерijſſe. Hippocrates vero inane capitis vocat, tum cerebri ventriculos, tum vacuitatem ipſum cerebrum extrinſecus ambientem. Cęterum, quod ait [aut] diſiunctiuè, melius fortè haberet [&] copulam. Sed cogitabitis & vos.

15 *Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit, tale*

est melancholicum, [vel pituitosum.] 40. 7.

[Tale est melancholicū, vel pituitosum] id est, ab humore pendet melancholico, vel pituitoso sua crassitie obstruente.

DE CAVSIS SALVBRIBVS. Cap. IIII.

16 *Famem thorexis, id est vini potio, soluit.* 21. 2.

17 *Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit: fames enim corpora siccat.* 59. 7.

18 *Alyce, id est anxietudo, oscitatio, horror: vinum aequale aequali potum soluit aegritudinem.* 56. 7.

19 *Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venae sectio, aut medicamentum epotum soluit.* 31. 6.

20 *Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa prodest.* 68. 5.

21 *Caput dolenti & † circundolenti [ex in-*

† Theodorus côuertit, uehemêter dolenti.

inflammatione quapiam, aut crudorum humorum sanguinisvè multitudine] pus, vel aqua, †vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit. 10. 6.

Galenus in suo contextu non habuit hanc disiunctiuã † [vel sanguis] & hinc est, quòd inter causas dolorum capitis, quorũ fit mentio, sanguinis multitudinẽ non includit. Cuius postea causæ seorsim meminit in fine cõmẽ. dicens: si verò propter spiritũ flatuosum, aut sanguinis multitudinem &c. dolor acciderit, per alia sanabitur, q̃ scilicet per puris aut aquæ effluxum.

22 *Quicunque† [dolores] ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit.* 22. 6.

†[Rupta] legebatur in vulgata editione, quam etiam scripturam nititur saluare Galenus, (& post ipsum Philotheus,) alteram tamen magis probat, quã ideò acceptauimus.

23 *Cancros occultos omnes melius est non curare, curati enim cito pereunt: non curati verò longius tempus perdurant.* 38. 6.

24 *Quicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare; si verò cum febre, malum. Curare verò acerbis & refrigerantibus.* 37. 7.

Prima statim Aphor. verba suadent collocandum potius fuisse sub 2. cap. postremæ Classis. At curatiua methodus, quæ in finali conclusione explicatur, in loci designatione longè præualet.

2 *Quicunque hepar circundolent, ijs febris superueniens soluit dolorem.* 52. 7.

26 *Quibus dolor circa hypochondrium fit absque inflammatione, ijs febris superueniens dolorem soluit.* 40. 6.

27 *A quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.* 70. 5.

28 *Febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionē. × Qui [enim] à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur.* 26. 2. & 57. 4.

Licet

Licèt hi duo posteriores Aphor. videantur potius ad partem prognosticam, quæ de febribus, attinere, si primæ eorum partes spectentur: tamen, quoniam finalis ipsorum conclusio quendam nobis insinuat salubris causæ modum, iccirco quinta hæc sedes visa mihi est illis magis cõgruere. Cęterum quinquagesimum septimum quarti lib. cum vigesimo sexto secundi copulauimus cum particula [enim] quòd alter alterius causæ redditionem contineat, vt intuenti liquido patet.

29 *Qui alba pituita detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit, à morbo liberatur.* 29. 7.

30 *Quibus inter ventriculum, & septum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens exitum, neq; ad alterum ventrem: ijs per venas ad vesicam pituita versa, soluitur morbus.* 54. 7.

31 *Ab aqua inter cutem habito, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus.* 14. 6.

32 *A longo alui profluuio habito, spontaneus vomitus superueniens, morbum soluit.* 15.6.

33 *Lippientem alui profluuio corripi, bonum.* 17.6.

Nõ vt signum, sed ut causa dictum est hoc in loco[bonum.]

34 *A singultu [ex repletione, magna autem ex parte ita fit,] habitum sternutatio superueniens liberat.* 13. 6.

35 *In [melancholicis] si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, [melancholiæ] solutio.* 21. 6.

36 M*elancholicis*, † *et renum vitio laborantibus hæmorrhoides superueniẽtes, bonũ.* 11.6.

† In antiquioribus codicibus legebatur [phreneticis.] Cui literæ consonat dictum Auic. 17. 3. cap. de cura hæmorrhoidum. Satius tamen, atque verisimilius existit, vt loco [phreneticis] legi debeat vtrobiq; [nephriticis,] hoc est renum passionibus vexatis, vt vertit Leonicenus: nam apud Gal. apud Philotheum quoq; in suis in eundem Aph. enarrationibus de nephriticis verba fiunt.

37 *In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim laßitudinem aufert.* 48. 2.

Scio non defuisse, quibus huiusce Aphor. sententia adeò ieiuna visa sit, ac ridicula, vt hinc nō leuem arripuerint occasionem egregiè subsannādi ipsum Hippocr. quòd scilicet inter Aphorismos, quos vniuersus medicorum cœtus tanquam oracula quædam suspicit, & admiratur, orationem hanc planè vulgarem, ac fatuam conscripserit. Quare, ne Hippocr. nomen apud quempiam malè audiat immeritò, ac vitiligatores hi omnino relinquantur inulti: cogor hîc paulisper digrediendo immorari. Hallucinantur itaque, & toto errant Cœlo, qui putant Hippocrat. tantum virum hoc solum voluisse, quod videntur Aphoris. verba simpliciter sonare: Alia enim fuit longè vtilior Hippocr. intentio in præsenti Aphoris. edocere videlicet normam mensuræ siue quantitatis ipsius exercitii in corpore inculpatè sano, ac debitè recto, vt sit sensus: temperatum corpus non est exercitandum ultra principiū lassitudinis, cui pro remedio sufficit ipsa quies. Nos ergo hac ipsa oratione admonit os vult Hippo. ne ultra laboris initium exerceamur,

quia alioqui non sola protinus auferretur quiete. Ne quis verò hunc sensum me somniasse putet, Galenus 3. Artis medicinalis assignans mensuram exercitij corporis temperati hanc ipsam elicit ex præsenti Aphor. dicens: Ab exercitatione verò, cum primùm lassescere corpus cœperit, cessandum est. Quare, non est credendum, quòd hæc Hippocr. sententia illi omnino æquipolleat Iurisperitorum glossemati; fœnum, id est herba sicca.

38 *Qui noctu bibere appetunt, ijs admodum sitientibus, si super dormierint, bonum:* 27. 5.

39 *Quibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.* 28. 4.

40 *Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum.* 60. 4.

41 *Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.* 48. 6.

Quod dicitur [bonum] hîc, & supra. 39. & 41. vt causæ rationem habet, accipere óportet. In proposito itaque casu difficultatem intestinorum lienosis superuenire, bonum: ratione (inquam) translationis eius materiæ melancholicæ, quæ prius splenem obsidens scirrhosi affectus causa erat, à quo lienosi ipsi denominantur. Bonum item, nisi ea intestinorum difficultas immodica penitus existat: si enim vltra modum extendatur, grauia & penè insanabilia mala secum aduocat, de quibus meminit Aphor. 92. postremæ sectionis.

42 *Quibus speratur abscessum futurũ ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa, crassa, et alba facta, qualis in laßitudinarijs febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.* 74. 4.

43 *Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur: iis suppuratione facta & eruptione, [affectus in reddendo lotio hinc pendentis] solutio.* 82. 4.

A febre

44 *A febre ardente habito, rigore superueniente, solutio.* 58. 4.

VTRASQVE CAVSAS, & morbosas, & salubres continet postremus hic Aphor. Cap. v.

45 *Lac dare caput dolentibus malum: malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis: malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem & tabidis dare, qui non valde multum febricitant: & in febribus longis, & paruis, si nullum ex suprà dictis signum affuerit, & præter rationem consumptis.* 64. 5.

DVO PRAECIPVA MEDENDI Methodi Theoremata. Cap. vi.

46 *Quicunq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: &, quicũq, ex euacuatione, repletio: & aliorum, contrarietas.* 22. 2.

Hinc

Hinc desumitur tritum illud pariter ac vulgatissimum in schola medicorum Theorema: Contraria contrarijs curantur. Cuius etiam Aphor. sententia planè astruitur ea medicinæ definitio, quæ (eodem Hippoc. autore in libello de flatibus) sic habet: Medicina est πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, hoc est adiectio, & subtractio: deficientium quidem adiectio, subtractio vero redundantium.

47 *Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem: non est transeundum ad aliud stante eo, quod a principio visum est.* 52. 2

Maximè quidem hic Canon deseruit actui practico. Etsi enim quæ semel recta ratione, ac vera methodo visa sunt à medico fuisse præscripta, eorum iuuamentum nondum appareat, & subsequi conspiciatur, non est tamen ob hoc statim ad aliud, videlicet auxilium diuersi generis, transeundum, [stante eo, quod à principio &c.] Quod notanter dictum puta. Si enim non stet, quod a principio visum est, sed vel superueniat aliquod symptoma diuersa vtiq; postulans remedia, vel certè morbus ipse mutetur in cótrarium præter naturam affectum, tunc dubio procul

ad

ad medicamenta diuersi generis nobis erit confugiendum, aliàs non. Cum hoc tamen stat, quòd permutatio fieri & possit & debeat ad auxilia eiusdem speciei, vel æqualia in gradu, vel etiam potentiora. Intelligatur itaq; hoc præceptum, non esse ad diuersi generis medicamenta recurrendum, cum ea limitatione, [stâte eo, quod à principio visum est] &, si recta ratione fuerint primùm adhibita remedia.

Quintæ Sectionis Finis.

DE MVLIERVM Paſsionibus,

Sectio Sexta.

PRAEFATIO.

SExta iam nobis ſe ſe offert ſectio, quæ muliebrium diſpoſitionum materiam continet, ſatis quidem ab Hippocr. pro doctrinæ Aphoriſticæ modo exactè elaboratam. Ea nouem ad ſummum capitibus abſoluetur. Quid verò in quolibet tractetur, ex proprijs eorũ inſcriptionibus ſtatim vobis innoteſcet. Nec eſt, quòd vllam eorum, quæ hîc aguntur, ordinis rationem afferam; neque enim vlla me mouit ordinis ratio. Placuit autem à menſtruis purgationibus tentaſſe initium.

DE MENSTRVIS PVRGATIONIbus. Cap. I.

1 *Si mulier, quæ neque grauida eſt, neque peperit, lac habet: huic menſtrua defecerunt.* 39.5.

Fit

Fit ſanè hoc perrarò, vt mulier, quæ graui da non eſt, neq; peperit, in mammis lac contineat. Si quando verò hoc ipſum contingat, argumento eſt ſuppreſſos eſſe menses.

2 *Si menſtrua plura fiant, accidunt morbi; & , ſi non fiant, ex vtero morbi contingunt.*

57. 5.

Immodicum & diuturnum menſtruorum profluuium multa, eademq; grauia minatur mala, quorum catalogum ex ipſo Auic. petas 21.3. Trac.3. cap.2. Nec, ſi nimium procedat, curationẽ admittit: quoniam vaſorum ora, quæ pertingunt ad vterum, ſupra modum & diutius hiantia, patentiaque callum contrahunt, vt deinceps agglutinationis in partibus ſolutæ vnitatis nulla omnino ſpes ſit reliqua. Si verò menſes ipſi cohibeantur, & præter naturam ſupprimantur: conſequitur primûm ipſius prolis priuatio, hinc plurimæ, & effatu dignæ vteri affectiones, quibus & totum corpus compatitur. Et quum alioqui mulieres à podagricis doloribus ſint immunes, ex ſola menſtruorum retentione his ipſis redduntur obnoxiæ. Quod ijs verbis memoriæ prodidit Hippocrates:

Mulier

3 *Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint. 29. 6.*

4 *Suffitus aromatum muliebria ducit: sæpius verò & ad alia vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem. 28. 5.*

5 *Mulieri, si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone. 50. 5.*

Habes hic paucis menstruæ purgationis tũ largioris, tum suppressæ haud inartificiosam curationem per ea, quæ extrinsecus admouentur.

6 *Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam. 36. 5.*

7 *Mulieri sanguinem euomẽti, menstruis erumpentibus, solutio. 32. 5.*

8 *Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum. 33. 5.*

9 *In fluxu muliebri si conuulsio, & animi defectus aduenerit, malum. 56. 5.*

DE SIGNIS ET CAVSIS STERIlitatis & fœcunditatis in viris, ac Mulieribus. Cap. 11.

10 *Si mulier non concipit, ſcire autem velis, ſi conceptura ſit, pannis circumtectam deſubter ſuffias; & , ſi odor videatur per corpus ire ad nares & os, ſcito, quòd ipſa non ex ſeipſa ſterilis eſt.* 59. 5.

Ex aromatibus ſuffitus, quem prius dixerat cohibitos excitare menſes: idem, num ſterilis futura ſit mulier an fœcunda, probat. Quidam autem ſanè haud contemnendæ autoritatis vir tria refert empirica ſigna, quibus utriuſque ſexus ſterilitas arguitur & fœcunditas. Primum eſt: ſpermata ſeparatim ponantur in vaſe aqua pleno, illud, quod ſupernatabit, ſterilitatem prodet. Alterũ: mingat vterq; ſeparatim ſuper virentem lactucã, & quæ deinde areſcet, eius, qui ſuperminxit, ſterilitatem nuntiabit. Tertium: grana tritici, vel hordei, vel fabarum reponantur ſeptẽ dies in vaſis, in quibus ſeparatim vtriuſque

ſit

ſit vrina. illa enim, in qua grana germinauerint, fœcunditatem indicabit.

11 *Quæcunque frigidos & ſpiſſos vteros habent, non concipiunt: & quæcunq; præhumidos vteros habent, non concipiunt; extinguitur enim in eis genitura; & quæcunque ſiccos magis & adurentes; nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunque verò ex vtriſque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ ſunt.* 62. 5.

Alter Aphor. de maribus loqués, qui aliàs hunc modò dictum ſtatim ſequebatur, meritò ceu ſpurius (ſi quis alius) hinc fuit exemptus. Cuius quidem loco ſequentem ex Gal. doctrina penitus conflatum haud ab re viſum fuit ſubſtituere, ne ſcilicet fœcunditatis ac ſterilitatis ſigna in viris ipſis intacta relinquerentur omnino. Nec me latet eum iuſto prolixiorem eſſe, atque adeò Aphoriſtici ſenſus modum parumper excedere: Verumenimuero, ſi paucioribus res acta fuiſſet, non utiq; ſermo foret ita manifeſtus. Malui itaq; in ſerie paulò locupletiori clarus eſſe, quàm alioqui affectato compendio obſcurus fieri.

12 *De maribus autem ita sentiendum. His enim primùm ob temperaturæ frigiditatem non bene semen concoquitur. & si quidem mediocris sit intemperatura, vtero indiget calido sufficienter: sin verò immodica, erit omnino sterile semen. De humida intemperatura idem prorsus esto iudicium. Quod si in calore fuerit excessus, infœcundum penitus reddetur semen: fit enim tosto simile. Item, ob siccitatem semen, vbi excidit, extendi minimè potest, quod maximè est necessarium, si mulier debeat concipere. Si verò mediocres extiterint hæ duæ intemperaturæ: hæc quidem ad concipiendum vterum poscit humidiorem, illa autem frigidiorem.*

13 *Quæcunque præter naturam crassæ non concipiunt vtero: ijs omentum os vteri comprimit, & prius, quàm extenuatæ fuerint, non concipiunt. 46. 5.*

Ab ipsius omenti pinguedine (zirbũ Mauritani appellant) os vteri internum comprimitur,

mitur, atque angustatur ijs, quæ supra modũ crassæ sunt. Quò fit, vt quum præ oris angustia in vteri capacitatem haud commodè semen ipsum eiaculari queat, conceptionem ipsam frustrari necesse sit, quousque imminuta ea pinguedine modum excedente patens ac velut hians vteri os immissum semen excipiat.

DE SIGNIS CONCEPTIONIS in vniuersum, & de signis concepti maris vel fœminę. Cap. III.

14 *Si velis noscere, an conceperit mulier: cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da; & , si alui tormina patietur, concepit: si minus, non concepit.* 41. 5.

15 *Quæ vtero gerunt, ijs vteri os comprimitur.* 51. 5.

16 *Si mulieri cessent purgationes, neque horror, neque febris superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in vtero habere.* 61. 5.

Sũt & alia nõnulla præter ea, quę hoc loco ab Hipp. assignantur, conceptionis indicia: nempe, si mulier post coitum sentiat frigus,

& dolorem circa renes, & sub vmbilico. Si post coitum nullum vel paucum admodum exit ab vtero semen, & siccitas in ore matricis adest. Si pudendum viri in coitu fugi videatur, & post coitum siccum est. Quæ omnia Egidius suo quodam Tetrasticho haud ineptè perstrinxit in hunc modum:

Matrix sicca, venus sopita, retentio fluxus,
Discolor affectus, vomitus, compreßio virgæ,
Mammæ großities, & pertur batio ventris
Ex melicrato, conceptus signa probantur.

In vrina item prægnantium quædam alba & rotunda apparent in fundo. Verùm, neque proprium, neque inseparabile est hoc signum.

17 *Mulier, si marem concepit, bene colorata est: si verò fœminam, male colorata.* 42. 5.

18 *Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.* 48. 5.

Hisce duobus concepti maris uel fœminæ signis duo alia subnectit præfatus Egidius his carminibus comprehensa:

Conceptum maris insinuat splendor faciei,
Membrorum leuitas, spißi concretio lactis,
Atque tumor uentris in dextra parte rotundus:
Fœmineum sexum contraria signa demonstrant.

His

His adderre poſſumus mammarum craſsitiem & magnitudinem. Si enim dextra craſſior fuerit, maſculum: ſi verò ſiniſtra, fœminã eſſe conceptam nobis inſinuat.

DE SIGNIS ET CAVSIS ABORtus. Cap. IIII.

19 *Mulieri vtero gerenti ſi mammæ graciles repente fiant, abortit.* 37. 5.

20 *Mulieri vtero gerenti ſi altera mamma gracilis fiat geminos habenti, alterum abortit: & , ſi quidem mamma dextra gracilis fiat, marem: ſi verò ſiniſtra, fœminam.* 38. 5.

Duo hi præſcripti Aph. de vna & eadẽ re tractant. In eo tantum diſcrepant; quòd hic quidem de altera mamma, ille verò de ambabus ſermonem facit.

21 *Quæ corrupturæ ſunt fœtus, iis mammæ extenuantur: ſi verò rurſus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infeſtabit, & non corrumpent.* 53. 5.

In loci huius enarratione Philotheus inquit, quòd Aphor. indiget determinatione vt verus sit, hoc pacto : [Quæ corrupturæ sunt fœtus (alimenti inopia) ijs mammæ extenuantur &c.] Galenus verò vult in omnibus quacunque ex causa fœtum corrupturis mulieribus gracilia reddi vbera ipsa, siue id contingat in ipso duntaxat abortiendi actu, siue ante ipsum per aliquod temporis interuallum. Quomodo autem differat huius Aphor. sententia à duobus præcedentibus vi de Gal in com.

22 *Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & magis, si fœtus sit maior.* 31.5.

23 *Mulieri in vtero gerenti si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiat:* 34.5.

24 *Mulieri vtero gerenti si tentio superuenerit, facit abortum.* 27.7.

25 *Quæcunque præter naturā tenues existentes vtero gerunt, abortiunt prius, quàm crassescant.* 44.5.

Quæ-

26 *Quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt secundo, aut tertio mense, sine occasione manifesta, ijs accetabula vteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrumpuntur:* 45. 5.

QVIBVS ARGVMENTIS DEPREhendatur fœtus in vtero matris belle ualere, aut contra. Cap. V.

27 *Mulieri vtero gerenti si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat: si vero mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.* 52. 5.

28 *Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum:* 60. 5.

DE SIGNIS LETHAlibus in prægnante. Cap. VI.

29 *Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale.* 30. 5.

Si

30 *Si mulieris grauidæ in vtero sit Erysipelas, lethale.* 43. 5.

31 *Quæcunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo; aut abortum facientes periclitantur.* 55. 5.

DE GRAVIDARVM PVRGAtione Canon. Cap. VII.

32 *Utero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & vsque ad septimum, sed hæ minus; iuniora autem & seniora vereri oportet.* 1. 4.

TRIVM VTERI PASSIONVM curatio. Cap. VIII.

33 *Si vterus in coxam vergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.* 47. 5.

34 *Ut secundæ procidant, sternutatorio imposito, nares apprehendito, & os.* 49. 5.

Mulieri,

35 *Mulieri, quæ vterinis [strangulationibus] molestatur, aut difficulter parit: superueniens sternutatio, bonum.* 35. 5.

Verbo [vterinis] apposuimus determinationem hanc [strangulationibus,] quæ satis amplam eius verbi acceptionem contrahit ad germanum Aphor. sensum, & intellectum. Quod dicitur in calce [bonum] promiscuè ad signum, & ad causam referri potest.

PROGNOSTICON.

Cap. IX.

36 *Mulier ambidextra non fit.* 43. 7.

37 *Quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.* 40. 5.

Fieri quidem potest, vt sanguis ad mammas quandoque delatus in lac minimè conuertatur, sed intransmutabilis permanens furorem (vt ait Hippocr.) significet. Hoc ipsum tamen vnum est eorum, quæ raro admodum eueniunt. Vnde in tota uita

se

ſe nunquam id vidiſſe ingenuè fatetur Galenus.

58 *Quibus os vteri durum eſt, ijs vteri os comprimi eſt neceſſarium.* 54. 5.

Sextæ Sectionis Finis.

DE PRAEDICTIONIBVS, Sectio Septima, & poſtrema.

PRAEFATIO.

VAriam, ac multiplicem prædictionum materiam nobis ſuggerit ſeptima hæc, eademq; ordine poſtrema Sectio. Quã quidem partem fuſiſsimè tractauit Hipp. vt ex prægrandi ipſius ſectionis mole cuiq; ſit manifeſtum. Hæc enim reliquas omnes ſimul ſectiones Aphoriſmorum ad ipſas attinentium numero æquat omnino. In qua an diſtinctè, & appoſitè ſummas rerum, quæ ibi tractantur, complexi fuerimus, iudicent

cent alij. Prognosticorum verò vsum si quis integrè nouisse velit, Hippocratis præfationem in tres lib. de his ipsis inscriptos adeat, & perlegat. Nos interim institutum, ac propositum negotium aggrediemur: si prius illud Lectorem admonuerimus, nempe in præsenti sectione promiscuè fieri sermonem de signis tum demonstratiuis, tum prognosticis: sed tamen à prognosticis factam fuisse Inscriptionem, quòd illa ab his & numero, & dignitate vincantur.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

Cap. 1.

1 *In quo morbo somnus laborem facit, mortale: si vero somnus iuuat, non mortale* Vbi [igitur] somnus delirium sedat, bonum.* 1 & 2. 2.

2 *Somnus, atque vigilia, vtraq; si modum excesserint, malum.* 3. 2.

3 *In vigilia, conuulsio, † vel desipientia, [malum.]* 18. 7.

Philotheus

Philotheus in suo Codice habet† [&] copulam loco[vel]deterioremq́; facit casum, si conuulsioni ex vigilia adhuc superueniat desipientia: quòd hoc longè maioris siccitatis sit argumentum. Galenus verò legit [vel] disiunctiuè, imò asserit in quibusdam Exemplaribus deesse verbum [desipientia.] Terminus autem [malum] facile poterat subintelligi, etiam si appositus minimè fuisset: additus tamen orationem facit tum planiorem, tum auribus consonam magis. Et est præsens hic Aphorismus ex eorum numero, qui ancipitis dubiæq́; sedis existunt. Nam ex vna parte in superuenientium classe iure videbatur esse locandus: de vigilia autem facta mētio huc etiam nos dirigit.

4 *Oportet verò & considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam, si quid album† commißis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde.* 52. 6.

† Huic quidem Leoniceni versioni fauet antiqua translatio sed Laurentiani interpretatio, quæ habet: [palpebris non undiq; sibi

ſibi commiſsis]mihi magis aridet. Quî enim fieri poteſt, vt albi quippiam ſubinſpiciatur palpebris commiſsis, atque adeò oculis ipſis exquiſitè clauſis? ſed & noſtræ aſtipulantur ſententiæ Galeni verba,quæ ſic efferuntur in ipſo ſtatim comm. initio: Aut ob palpebrarũ ſiccitatem, aut propter potentiæ ipſas mouẽtis imbecillitatem, aliquid ſubinſpicitur, cum oculi integrè claudi non poſsint. Et in calce eiuſdem: Et quidem,quòd potentia exiſtente imbecilli non poſsint exquiſitè oculos claudere &c.Ea itaque Laurentiani interpretatio cum eo, quòd verior exiſtit, habet & Galenum ſibi ſuffragantem,imò verò &Hippo. ipſum 1. Præſagiorũ.11.quo in loco eundem penè ſub eodem verborum contextu explicans Aphor. intellectum inquit: oculorum autem ſuſpectiones per ſomnos conſiderare oportet, nam ſi palpebræ non committantur, ſed inter eas aliquid ex albo oculorum appareat,&c.

DE

DE EXCRETIONIBVS, QVAE vel per aluum inferiorem, vel per os ipsum fiunt. Cap. 11.

5 *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius: cum medicamento verò melius, et quanto colores plures non praui.* 21. 4.

6 *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supra vel infra exierit, lethale.* 22. 4.

7 *Quibuscunque ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur.* 23. 4.

8 *Sanguis quidem supra, qualiscunque fuerit, malum: infra autem nigra deijci,* [*melius.*] 25. 4.

Qui-

9 *Quicunque spumosum sanguinem expuunt, iis è pulmone eductio fit.* 13. 5.

10 *Excreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ. Et si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonæ. Si verò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.* 47. 4.

11 *Quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, † iis [pituita vel ex capite in ventriculum defluit, vel in eodem ventriculo cum spiritu flatuoso generationem habet, nec aliunde influit.]* 30. 7.

† Iis ex capite pituita defluit.) sic claudebatur Aphorismus in vulgata editione: sed sensu ita indistincto, ac indefinito, vt & confusionem pareret, & veritate careret.

12 In *profluuiis alui, mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.* 14. 2.

DE VRINIS. Cap. III.

13 *Quibus vrinæ crassæ, †grumosæ, paucæ, non sine febre, multitudo veniens ex his tenuis iuuat: præcipuè verò tales veniunt, quibus ab initio, vel breui sedimen inest.* 69. 4.

Quamuis ea dictio † [grumosæ] non careat interpretatione, Galeno tamen magis arridet, vt hac expuncta Aphorismus ita incedat: [Quibus vrinæ crassæ, paucæ &c.]

14 *Quibus vrinæ albæ, & perspicuæ, malæ, præsertim si in phreniticis appareant.* 72. 4.

15 *Quibus vrinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit.* 70. 4.

16 *Quibus septima iudicatur, iis nubeculam habet quarta die vrina rubeam, & alia, ex ratione.* 71. 4.

17 *Quibuscunque febricitantibus, in vrinis fiunt sedimina, veluti farina crassior,*

[in quibus spes est salutis longam fore ægritudinem, in morituris vero pro foribus mortem adesse significat.] 31. 7.

18 *Quibus autem vrinarũ sedimina, [quæ ab initio quidem tenuia sunt, postea vero biliosa fiunt:] acutum morbum significant.* 32. 7.

19 *Quibuscunque vrinæ distantes sunt [id est, substantia inæquales,] iis turbatio vehemens in corpore fit.* 33. 7.

20 *Quibus in vrinis bullæ insident, morbũ renalem, & longum significant.* 34. 7.

21 *Quibus [insidens] pingue, ac simul totum [.i. vniuersim, & non paulatim cum vrina prodit,] iis renum vitium acutum significatur.* 35. 7.

22 Q*uibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresq; circa spinæ musculos fiũt, si quidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta. Si verò dolores magis circa loca interiora fiant: etiam abscessus expe-*

cta futuros interius. 36. 7.

23 *Si sanguinem, aut pus mingat: aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat.* 75. 4.

24 *Si sanguinem, aut pus minxerit, aut squãmulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.* 81. 4.

25 *Quibus in vrina crassa existente, carunculæ paruæ, aut veluti capilli vnà exeũt, iis à renibus excernitur.* 76, 4.

26 *Quibus in vrina crassa furfurea quædam simul exeunt, iis vesica scabie laborat.* 77. 4.

27 *Quicunque sponte [i. repente] sanguinem mingunt, iis à renibus venulam ruptã significatur.* 78. 4.

28 *Quibus in vrinis arenosa subsistunt, iis vesica [vel renes] laborant calculo.* 79. 4.

29 *Si sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & se*men:

men: circa vesicam [. i. communiter circa instrumeta vrinaria, renes (in quā) vrinarios meatus, & vesicam ipsam,] labor est. 80. 4.

30 *Mictio noctu plurima facta paruam significat deiectionem.* 83. 4.

DE SVDORIBVS. Cap. IIII.

31 *Sudores febricitanti si inceperint, boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & vigesimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoquarto.* Hi enim *sudores iudicant morbos. Qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.* 36. 4.

32 *Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.* 37. 4.

33 *Qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum.* 38. 4.

34 *Sudor multus ex somno factus absq; causa manifesta corpus vti coptosiore cibo significat: Si verò cibū nō accipienti hoc accidat: scire*

oportet, quod euacuatione corpus indiget? 41. 4.

35 *Sudor multus calidus, vel frigidus superfluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum.* 42. 4.

36 *Febricitanti sudor superueniens febre non deficiente, malū. prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem:* 56. 4.

37 *Quibus cutes circumtenduntur aridæ, & siccæ, sine sudore moriuntur: quibus verò laxæ, & raræ, cum sudore moriuntur.* 71. 5.

DE RIGORIBVS, ET FEbribus. Cap. v.

38 R*igores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput: sed & viris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, veluti femorum, cubiti: Sed & cutis rara: indicio autem est pilus.* 69. 5.

Quibus

39 *Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.* 29. 4.

40 *Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est.* 46. 4.

41 *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.* 63. 4.

42 *Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui: vel etiã [colliquescere] plus, quàm ratio postulat, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem, [vel humorum cũ corporis raritate tenuitatem] significat.* 28.2.

43 *Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte; cum reficiuntur, alui ijs humectantur.* 27.4.

44 *Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.* 30. 4.

45 *Laßitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potißimum abscessus fiunt.* 31. 4.

Si solum lasitudinis vocabulum hîc spectes, in. 12. potius Sectionis huius Capite exarandus fuisset Aphor. sed propter factam de febribus mētionem, haud illi incōgruus censendus erit hic locus.

46 *Si à febre habito, tumore non existente in faucibus, strangulatio repente superuenerit, lethale.* 34. 4.

Nec inconueniens fuisset hunc illis associari, qui in septima hac Sectione de superuenientibus malis inscripti sunt.

47 *Si à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare, sine vllo tumore, lethale est.* 35. 4.

48 *Febres, quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.* 43. 4.

49 *Quibus febres longæ, iis tubercula vel labores in articulis [magna ex parte] fiunt.* 44. 4.

50 *In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & sitim habeat, lethale est.* 48. 4.

In

51 *In febre non intermittente, si labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus peruertatur, vel non videat, vel nō audiat, iam debili existente corpore: quicquid horū euenerit, mors proxima est.* 49. 4.

52 *Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium acciderit, lethale.* 50. 4.

53 *In febribus, abscessus, qui ad primas iudicationes non soluunt, longitudinem morbi significant.* 51. 4.

54 *Quicūq; in febribus, vel in aliis morbis ex volūtate illachrymant, nihil absurdū; qui verò non ex voluntate, [absurdum.]* 52. 4.

55 *Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres:* 53. 4.

56 *Quibus plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, nō multum siti infestantur.* 54. 4.

57 *Ex bubonibus febres omnes malæ, præter diarias.* 55. 4.

Ter-

58 *Tertiana exquisita, septenis circuitibus, quod longißimum est, iudicatur.* 59.4.

59 *Febricitantem nisi diebus [iudicatorijs] febris reliquerit, solet recidiuare.* 61.4.

Philotheus in suo codice habet quendam alium Aphor. post hunc immediatè hisce verbis exaratum: quæ paribus diebus iudicātur, difficilem habent iudicationem, & recidiuare consueuerunt. Quem nescio quomodo Philotheus ipse opinetur fuisse necessario appositum: quum potius constet totum oppositum, nempe superfluum esse omnino. pendet enim manifestè ex sui antecedẽtis doctrina, qui & à Galeno castigari meruit ob verbum [imparibus] pro quo rectius censuit esse legendum [iudicatorijs.]

60 *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.* * [*Post septimum vero optimum: nisi dextrum hypochondrium obduruerit.*] 62. & 64.4.

Vitandæ prolixitatis, & clarioris simul doctrinæ gratia, ex duobus integrum vnum fecimus Aphorif. Galeno ipso monitore: qui damnans eius Aphor. intermedij, videlicet. 63. præposterum ordinem inquit: melius enim

nim fuisset, hunc, qui nunc scribitur, Aph. illi fuisse coniunctum, in quo ait: [Quibus in febribus morbus regius &c.] vt totus sermo talis procedat; Ante septimum quidem diem morbum accidere regium, malum omnino: post septimum vero, optimum, nisi &c.

61 *In febribus circa ventriculum & fortis æstus, & cordis morsus, malum.* 65. 4.

62 *In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum.* 66. 4.

63 *In febribus, ex somnis timores, vel conuulsiones, malum.* 67. 4.

64 *In febribus spiritus offendens, malum. conuulsionem enim significat.* 68. 4.

65 *Quibus hypochondria suspensa murmurantia, lumborum dolore superueniente, ijs alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat. hæc vero in febribus.* 73. 4.

De

DE VNIVS IN ALTERVM præter naturam affectum transmutatione. Cap. VI.

66 *Quicunque morbo laterali laborãtes in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad suppuratione͂ vertuntur.* * *Quicunque [autem] ex morbo laterali suppurãtur, si in quadraginta diebus purgantur à die, à qua fit ruptio, liberantur. Si verò non, ad tabem transeunt.* 8. & 15.5.

Hosce duos Aphor. copulare visum fuit, vt sic eiusdem materiæ sermo cohærens fiat manifestior.

67 *Quicunque ab angina liberantur, † & ad pulmonem vertitur, ii in septem diebus pereunt. Si vero has effugerint, suppurantur.* 10.5.

Copula † [&] a Philotheo transposita, & in eum locum reiecta longè clariorem reddit Aphor. sententiam. Prius enim corruptè & deprauatè legebatur: [Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in septem

ſeptem diebus pereunt &c.] nec hac de re quicquam tetigit Galenus.

DE SVPERVENIENTIBVS, ET primum quidem de iis, quæ immodicę vel inanitioni, vel repletioni ſuperueniunt. Cap. VII.

Quoniam de ſuperuenientibus verba facturi ſumus, ideo operæpretium fuerit docere in primis quid ſuperuenientium malorum nomine intelligatur. Superuenientia autem quænam dicantur, ex Galeno ipſo diſcere licet comm. Aphor. 11. lib. 7. quo in loco declarãs quis cui morbo intelligatur ſuperuenire, vel etiam in alium quemlibet tranſmutari (de qua quidem tranſmutatione nuper habitus eſt ſermo) inquit: Tranſmutatur igitur morbus, quando priore ceſſante, aduenit alter: Superuenit autem, quando altero adhuc manente, alter adiicitur. Superuenientia itaque in propoſito appellantur, quæcunque, priore morbo adhuc manente ſuperueniũt. Eſtq; de ratione ſuperuenientium, quòd ea mala ſint omnino, vt ſtatim ſubdit Galenus in eodem comm.

68 *Vbi sanguis multus fluxerit: singultus, aut conuulsio superueniens, malum.* 3.5.
69 *A profluuio sanguinis, desipientia, ac conuulsio, malum.* 9.7.
70 *A forti in vlceribus pulsu, profluuium sanguinis.* † 21.7.

Philotheus habet verbum†[malum]in calce Aphor.adiunctum,cuius etiam in comm. ipse meminit. Extat & codex Venetijs excusus eiusdem omnino (quod attinet ad hunc locum)scripturæ.At in Hippocr. qui ex Iuntarum typis iam tertiò nobis in lucem prodiit,illud desideratur. Quod ipse quoq; Galenus prætermisisse conspicitur.

71 *Ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum.* 4.5.
72 *A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum.* 3.7.
73 *A tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fit.* 8.7.
74 *Ab æstibus fortibus conuulsio, aut distentio, malum.* 13.7.
75 *A sudore horror, non bonum.* 4.7.

76 *Si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut, vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet.* 5.5.

77 *Ex multa potatione, rigor, & desipientia, malum.* 7.7.

DE IIS, QVAE IPSIVS CAPItis noxis superueniunt. Cap. VIII.

78 *Quibuscunque præciditur cerebrum: ijs necesse febrem, & bilis vomitum superuenire.* 50.6.

79 *A capitis ictu, obstupescentia, & desipientia, malum.* 14.7.

80 *In ossis [videlicet capitis] præcisione, desipientia, si in vacuum apprehenderit.* 24.7.

81 *Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.* 58.7.

Se-

SEQVVNTVR THORACIS MAla alia aliis superuenientia. Cap. IX.

82 *A morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluuium aduenieńs, malũ.* 16.6.

83 *A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.* 11.7.

84 *A pulmonis inflammatione phrenitis, malum.* 12.7.

85 *A sanguinis sputo puris sputum, malum.* 16.7.

86 *A puris sputo phthisis, & fluxus: cum verò sputum retinetur, moriuntur.* 16.7.

Apud Philotheũ hi duo postremi Aphor. coniuncti leguntur.

87 *A tabe habito profluuium alui superueniens, lethale.* 14.5.

88 *Qui tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.* 11.5.

89 *Quibuscunque tabe laborantibus, capilli*

pilli à capite defluunt, ij alui profluuio superueniente, moriuntur. 12. 5.

DE SVPERVENIENTIBVS in ventre inferiori, & membris naturalibus in eo contentis. Cap. x.

90 *Recto intestino, aut vtero inflammationem patiente, vrinæ stillicidium superuenit: & renibus purulentis vrinæ aduenit stillicidium: hepati autem inflammationem patienti singultus aduenit.* 58. 5.

91 *In hepatis inflammatione singultus, malum.* 17. 7.

92 *Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & [magna ex parte] moriuntur.* 55. 7.

93 *Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, ijs superueniente longa difficultate intestinorum, aqua inter cutem, aut læuitas intestinorum aduenit, & moriuntur.* 43. 6.

94 *Ab ileo vomitus, singultus, desipientia, vel conuulsio, malum.* 10. 7.

95 *A ventris dolore diuturno, suppuratio.* 22. 7.

96 *A deiectione sincera difficultas intestinorum, malum.* 23. 7.

97 *A pituita alba, aqua inter cutem superuenit.* 70. 7.

98 *Aqua inter cutem laborantibus tussis superueniens, malum.* 35. 6.

DE SVPERVENIENTIBVS NON in determinata nostri corporis parte. Cap. XI.

99 *Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur valde, neque insaniunt: verùm his euanescentibus, derepente quibusdam à tergo cõuulsiones & distentiones fiũt: quibusdã ante insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sint rubicundi.* 65. 5.

100 *A corruptione ossis, abscessus [su-*

p er-

peruenit.] 73. 7.

101 *In ossis exutione, erysipelas,* [*malum.*] 19. 7.

102 *Ab erysipelate, putredo, aut suppuratio,* [*malum*] 20. 7.

DE DOLORIBVS, LASSITVDInibus, & laboribus. Cap. XII.

103 *Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat.* 6. 2.

104 *Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.* 46. 2.

105 *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quàm iam confecto.* 47. 2.

106 *Dolores, qui sunt in lateribus & pectoribus atque alijs partibus, an multum differant, perdiscendum.* 5. 6.

107 *Dolores, & tumores ventris sublimes, leuiores: qui verò non sublimes, fortiores.* 7. 6.

108 *Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliter soluuntur, in aquā inter cutem siccam firmatur.* 11. 4.

109 *In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.* 26 7.

110 *Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertūt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.* 51 6.

111 *Quibuscunque morbi podagrici sunt, ÿ sedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt.* 49. 6.

112 *Quibuscunq; à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa, & rursus incidit, ÿs mucores superueniunt:* * *[& crus tabescit, claudicantq́, si non vrantur.]* 59. & 60. 6.

Vsum prænotionis simul & curationis nobis præstat hic Aphor. 112. Quare, non hanc potius, q̃ ordine Quartam iure sibi vendicare poterat sedem. Verumenimuerò, quū is post multos ad partem Prognosticam attinentes con-

conſcriptus fuerit, placuit eum à ſua ſede nō remouere. Conſtat porrò ex quinquageſimo nono, & ſexageſimo ſexti lib. Aphoriſmis, quos coniungentes neceſſe fuit illius ſexageſimi priorem clauſulam demere, quoniam eadem omnino erat cum initio ſui antecedētis.

113 *Spontaneæ laſſitudines morbos prænuntiant.* 5. 2.

114 *Qui conſueti ſolitos labores ferre, etſi fuerint imbecilles, & ſenes, nō conſuetis fortibus, atq; iuuenibus facilius ferunt.* 49. 2.

115 *Quibuſcunque reſurgētibus ex morbis, ſi quid laborauerit, hic fiunt abſceſſus. * Sed etſi ante morbum aliqua parte laborauerit, hic morbus firmatur.* 32. & 33. 4.

DE MORBIS ACVTIS.
Cap. XIII.

116 *Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.* 23. 2.

117 *Acutorum morborum nō omnino ſunt certæ prænuntiationes, aut ſalutis, aut mortis.* 19. 2.

118 *In acutis paßionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria, malum.* 54. 6.

119 *In morbis acutis frigus partium extremarum, malum.* 1. 7.

DE CRISI, ET DIEbus tum Decretorijs, tum contemplabilibus. Cap. XIIII.

120 *Quibuscunque crisis, id est iudicatio fit, ijs nox grauis ante acceßionem: quæ verò subsequitur, magna ex parte leuior existit.* 13. 2.

121 *Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & vndecimus contemplabilis: ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursus vero & decimusseptimus contemplabilis: ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus vero ab vndecimo.* 24. 2.

PRAEDICTIONES VARIAE.
Cap. XV.

122 *Non satietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum naturæ excesserit, bonum.* 4. 2.

123 His, *quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere; neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt.* Plurima *enim talia stabilia non sunt, neque multum durare & permanere cõsueuere.* 27. 2.

124 *In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contrarium vero malum.* 33. 2.

125 *In morbis minus periclitantur, quorũ naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit.* 34. 2.

126 *In quouis morbo partes ad vmbilicũ, & imum ventrem attinentes, crassitudinem habere melius est: vehemens autem extenuatio, & liquatio, prauum. Sed & hoc*

quoque ad inferiores purgationes, periculosum. 35. 2.

127 *Qui frequenter, ac fortiter absq; manifesta causa exoluuntur, derepente moriuntur.* 41. 2.

128 *Soluere apoplexiam, fortem quidẽ impoßibile: debilem vero, non facile.* 42. 2.

129 *Qui strangulantur, ac dissoluuntur, nondum verò mortui sunt, non referuntur [maxima ex parte,] quibus spuma circa os fuerit.* 43. 2.

130 *Qui natura admodũ craßi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles.* 44. 2.

131 *Plurimum atque repente euacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum, quoniam omne nimium est naturæ inimicũ: sed, quod paulatim fit, tutum est, tũ aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.* 51. 2.

132 *A difficultate intestinorum habito, si veluti caruncula exeant, lethale est.* 26. 4.

Dif-

133 *Difficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit, lethalis est.* 24. 4.

134 *In longis difficultatibus intestinorum, cibi fastidia, malum, & cũ febre peius.* 3. 6.

135 *In longis læuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.* 1. 6.

136 *In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum.* 6. 7.

137 *Conuulsio ex elleboro, lethalis est.* 1. 5.

138 *Conuulsio ex vulnere, lethalis est.* 2. 5.

139 *Quicunque à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effuge rint, sani fiunt.* 6. 5.

140 *Si omentum excidat, necessario putre scit.* 58. 6.

141 *Vlcera circum glabra, maligna sunt.* 4. 6.

142 *Vlcera quæcunque si annua sunt, aut etiam diuturniora, os abscedere est necessarium, & cicatrices cauas fieri.* 45. 6.

143 *Latæ pustulæ non admodum pruriunt.* 9. 6.

Aqua

144 *Aqua inter cutem laborantibus, vlcera in corpore facta difficulter sanantur.* 8. 6.
145 *A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur, periculum est aquam inter cutem, vel tabem aduenire.* 12.6.
146 *Si in vulneribus fortibus & prauis tumor non appareat, ingens malum. * Et molles quidem boni, † crudi vero, mali.* 66. & 67.5.

† [Crudi] id est duri, posuit antecedens pro eo, quod sequitur. Nam, propterea quod tumor aliquis crudus est, ideo durus, ac renitens sit oportet.

147 *Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est † [corrumpi.]* 20.6.

† [Suppurari] legitur in vulgata editione.

148 *Distillationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies.* 38.7.
149 *Qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt ante pubertatem, moriuntur.*
150 *Quicunque suppurati, aut aquam inter*

ter cutem patientes vruntur, aut secantur: si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur. 27.6.

151 *Quicunque suppurati vruntur, vel secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt; si vero subcruentum, & faeculentum, ac faetidum, pereunt.* 44. 7.

152 *Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt: in tunica enim his pus continetur; si vero, qualis amurca, fluat, pereunt.* 45. 7.

Hic Aphor. est antecedentis veluti exemplum quoddam.

153 *Quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit; ijs ob crassitudinem puris, aut loci non innotescit.* 41. 6.

154 *Qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus.* 39.4.

155 *Et, vbi in toto corpore mutationes, &, si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat: longitudinem morbi significat.* 40. 4.

Quibus

156 *Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur: quibus verò contraria, ſalubrius degunt.* 2. 6.

157 *Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale eſt.* 18.6.

158 *Cum diſciſſum fuerit os, aut chartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coaleſcit.* 19.6.

159 *Si timor, atque mœſtitia longo tempore perſeuerent, melancholicum tale eſt.* 23. 6.

160 I*n morbis melancholicis, ad hæc periculoſi decubitus, apoplexiam corporis,* † [*quæ homines occupat à quadrageſimo anno vſq; ad ſexageſimum*] *vel conuulſionem, vel furorem, vel cæcitatem ſignificant.* 56. & 57.6

† Ibi clauditur ſententia Aphor. 57. eiuſdẽ lib. qui habet: [Apoplexiæ autem fiunt maximè à quadrageſimo anno vſq; ad ſexageſimum.] Præſentis autem Aphor. ceu obſcurio ris

ris intellectum paucis exponã. In morbis melancholicis, si materia, quæ hos ipsos parit, fouetq; per transpositionem ad partes mox dicendas inclinet, ac decumbat, periculosum: etenim, si ad cerebri vẽtriculos, morbum attonitum, quem apoplexiam Græci vocant: si ad neruos, conuulsionem: si ad cerebri membranas, furorem, vel melancholiam, pro varia ipsius humoris melancholici qualitate, & natura: si verò ad oculos, cæcitatem inuehit.

161 *Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.* 25. 6.

Ampliat hunc locum Galenus ad alia omnia mala, ꝙ videlicet ea salubria sint, cũ ab internis partibus, & principibus ad externas, & ignobiliores transferuntur.

162 *Ab angina habito si tumor fiat in collo, bonum.* † 37. 6.

† [Foras enim morbus deducitur.] clausulã hãc inuenies superadditã in textu Philothei: Cui fauẽt antiqua pariter, & Laurẽtiani traductiones, imò verò & ipsa Leoniceni versio, vt iacet in veteri operũ Galeni Tomo. Attamẽ nõ videtur iure esse apponẽda, propter

dicta

dicta Galeni 7. Aphor. com. Aphor. 49. in calce, quae sic habent: Hic igitur videtur fuisse interiectus, volente aliquo adiungere: [extra enim conuertitur morbus.] Supponit ergo legitimum Aphorismum, qui nunc scriptus est, ea additione carere.

163 *Balbi, [qui tales natura sunt vitio duntaxat humidioris, & mollioris linguae temperamenti] ab alui profluuio maxime capiuntur.* 32. 6.

164 *Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.* 33. 6.

165 *Quicunque † calui sunt, iis magnae varices non fiunt; quibus vero caluis varices magnae superueniunt, ii rursus capillati fiunt.* 34. 6.

† Caluitij vocabulo abutitur hoc loco Hippoc. pro capillorum profluuio.

166 *Eunuchi, neq; podagra laborant, neque calui fiunt, † [nisi otio, & gulae supra modum indulgeant.]* 28.6.

† Nō absq; ratione facta fuit ea additio, est enim de ipsius Aphor. integritate. Pro qua re Galenū, si libet, necnon Philotheū consulas.

Quibus

167 *Quibus cerebrum † sphacelatum, id est corruptum est, in tribus diebus pereunt; si vero hos euaserint, sani fiunt.* 50.7.

† Sphacelus hac in parte abusiuè sumitur non pro absoluta, & completa corruptione, (ea enim insanabilis est omnino) sed pro initio & via ad futuram corruptionem.

168 *Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores.* 53.6.

169 *Qui regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.*

Vltimus est Quinti lib. & septimæ huius nostræ Sectionis. Soli autem Deo tribuatur honor, & gloria, qui autor est omnis boni, quiq; benedictus sit in secula. Amen.

Septima, & postrema Sectionis Finis.

SPV-

SPVRIORVM
CATALOGVS.
PRAEFATIO.

MAximè quidem Aphoristicæ sententiæ repugnat, quòd si quippiam efferri paucis queat; illud contrà, pluribus enuntietur. At quanto magis à breuitate Aphoristica erit alienum, si idem penitus bis, vel etiam sæpius repetatur? Quòd si tu dicas, nulli id vitio verti, aut posse, aut debere, quum alioqui obseruatum sit nõ semel fuisse id facinus ab Hippoc. admissum, quem tamen nullam ob hoc calumniæ notã subijsse constat, quando ea in re Galenum habeat sibi suffragantem, vt patet quinto Aphorismorum comm. Aphor. 64. in calce: nõ ibo equidem inficias, Galenum præcitato loco strenuè Hipp. partes tueri, ipsumq; à culpa vindicare, si eandem quandoq; sententiam bis ter uè scriptis mandare haud veritus fuerit. Attamen non in omnibus simpliciter iure id posse admitti contendit Galenus: sed in quibus duntaxat (vt ijsdem penè Galeni verbis vtar) magnum aliquod periculum imminet,

net, ſi negligentius, quod ab ipſo docetur, accipiatur. Non igitur, quod in medium attuliſti, noſtram euertit ſententiam, ac initio propoſitum thema oppugnat. Quinimo illud auſim dicere, Galenum vt ſupra eum excuſationis modum fuiſſe venatum, vt ſolum Hippoc. quem tanti ſemper fecit, omni culpa vacare teſtaretur: licet re vera mente concipiat, & ita ſentiat iteratos in Aphoriſmis ſenſus à ratione Aphoriſtica eſſe omnino alienos. Id quod confirmant, quæ prius ab eodē Galeno in comm. illo his verbis exarata comperimus: Miror autem, quomodo in illis, in quibus lac dari iubet, adſcripſit, [ſi nullū ex ſupradictis ſignis affuerit] quum ſit à doctrina Aphoriſtica alienum. Id enim erat ex ijs, quæ prius dixerat, cognitum, etiam hoc non adiecto, ꝙ dandum eſt tabidis, & præter rationem extenuatis lac, niſi caput doleat &c. Hæc Galenus. Nonne ille palàm nugationis vitium hîc carpit, repetitosq; in Aphor. ſenſus deteſtatur? Hoc idem ſimiliter repetit 4. Aphor. in ipſo ſtatim exordio comm. Aphor. 47. inquiens: fortè conueniens fuerat doctrinæ Aphoriſticæ, dici compendioſius, omnes prauas excretiones, cum bene exeunt, ad bonum terminari &c. Sed hac de re plura for-

tafsis, quàm Præfationis modus expoftulet. Cupiens itaq; has Hippoc.fentẽtias, quæ antehac nimirum partu alieno deturpatæ circumferebantur, nunc ope noftra tandem genuino candori, fuæq; integritati reftitutas in communem proferre vfum: iccirco poft feptem Aphorif. Sectiones hactenus ex ordine explicatas vnam hanc claffem parare decreui, in quam referantur quotquot ab ipfo Galeno illegitimi habentur Aphorifmi. Quorũ fanè alij tales cenfentur ob manifeftam, quã circumfcribunt, fententiæ abfurditatẽ: Alij propterea ꝙ bis, ter, & fæpius plerunq; confcripti cernantur: nunc quidem feruata prorfus eadem verborum ferie, ac contextus forma: nunc verò vno, pluribus, demptis, fuperadditis terminis quoquo pacto immutata. Ceterum, fi huc etiam reiectos comperies nõ nullos repetitos quidem, fed quos Galenus haudquaquàm faffus fit effe fpurios: fcias nõ quidem aufu temerario, fed Galeni decreto fuiffe id à nobis tentatum. Quandoquidem ea Galeni mens eft, vt quæcunque in Aphorifmis repetita deprehenduntur, ea melius fit eximere, quàm intacta relinquere. Ne verò eandem penè cantilenam fubinde canere Galenus ipfe cogeretur, de repetitis multotiens

vè iteratis in vniuersum obliterandis semel admonuisse sat sibi visum fuit 6. Aph. cõm. Aphor.24.quanquàm idipsum & alibi in memoriam quandoq; reuocare minimè grauetur. An verò quilibet repetitus continuò sit & spurius, aliis perquirendum relinquo. Philotheus sanè autor grauissimus hanc intrepidè proferens sententiam ita paucis cõtrouersiam dirimit, diluitq; : sciendum est, quicunque Aphorismi inter se similes sunt, & eiusdẽ sententiæ ab alijs, & non ab Hipp. interpositos esse. 7. Aphor. comm. Aphor. 45. Sicque Præfationem hanc nostram ad calcem deduxisse volo, vbi prius quorundam meminero locorũ, in quibus indicat Galenus, palamq; monet, repetitos Aphoris. esse penitus eximendos.

I

PRrius hic Aphorismus à nobis expositus est in pręcedentis Aphor. expositione: scriptus etiam in superiori lib. parte ijsdem verbis. Quare, & nonnulli eum de hoc loco sustulerunt quarto Aphoris. toto com. 3. Aphorismi.

II

Hic Aphorismus dictus est & antea, vbi de purgatione sermo habebatur. Sed & hîc, vbi de mulieribus agitur, in quàm pluribus exemplaribus inuenitur. Quidam verò eximunt ipsum, ne bis scriptus inueniatur. 5. Aphor. comm. Aphor. 29.

III

Hoc & in Aphorismo paulò antea dicto monstrauit, cuius initium: [Vesica discissa, vel cerebro &c.] Nescio igitur quo pacto nũc frustra fuerit adscriptus. Idem autem vidimus & in pluribus aliis Apho. quos melius fuerit eximere. 6. Aphor. toto comm. Aphor. 24. & est locus ille generalis.

IIII

In omnibus ferè exemplaribus hic Aphorismus scriptus est: eximere autem ipsum oportet propter alterũ, qui prius est dictus, quem nos exposuimus in 4. horum Commentariorum per hæc verba scriptum: [Si sanguinem mingant, ac grumos &c.] 7. Aphor. comm. Aphor. 39.

V

Hic Aphorismus pars est eius, qui prius dictus fuit in hæc verba: [Quibuscunque venæ sectio, vel purgatio cum medicamento con-

uenit

uenit &c.] Atque ideo in quibusdam exemplaribus non est adscriptus omnino: Id quidam libri huius expositores sciunt, bisque ipsum scribunt: nonnulli vero neque mentionem eius omnino fecere. Non admirari verò illos non possis, qui non modo bis eundem scribunt Aphoris. verum etiam in eisdem Commentariis eum exponunt, nulla facta significatione, quòd ijs, qui antea scripti fuerunt, quidam sunt ex toto iidem, quidam verò ex parte, cuiusmodi hic est. 7. Aph. comm. Aphor. 53.

VI

Hic vltimus Aphorismus in multis exemplaribus scriptus est, in quibusdam verò & alij adiecti sunt eodem modo, quo & illi omnes, quos decurrimus, ex legitimis ita fraudulenter concinnati, vt nonnulli eisdē verbis scribantur, nonnulli parum euarient, nōnulli parua facta adiectione similes sint ijs, quos scripsit Hippo. Quare, ne ipsos quidem duximus adiiciendos. 7. Apho. comm. Aph. 75.

Præfationis finis.

1 *Si, qualia oportet purgari, purgentur: confert, & faciliè ferunt: si contrà, difficulter.* 25. 1.

2 *Si, qualia oportet purgari, purgentur: confert, & leuiter ferunt: contraria verò grauiter.* 3. 4.

Continentur hi duo in prima parte. 2. Aphor. primi lib.

3 *Quibus Iuuenibus adhuc aluus humecta est, ijs senescentibus exiccatur. Quibus verò Iuuenibus aluus sicca est, ijs senescentibus humectatur.* 20. 2.

Affinis est hic. 53. eiusdem lib. Sed illũ quidem posteriorem in quarta legitimorum Sectione numero 13. prælegimus propter verba [magna ex parte] quæ hîc desiderantur.

4 *Eius, qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.* 31. 2.

Manifestè hic continetur in octauo & 32. secundæ Particulæ.

5 *Grauitas purgare turgente materia à quarto mense vsq; ad septimum, minus verò has. Recentiores autem & seniores vereri* opor-

oportet. 29. 5.

Idem 4.Aphor.1.

6 *Similiter autem & in maribus: aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, vt semen transmittatur ad os: vel propter spissitudinem humor non exit foras: vel propter frigiditatem non concalescit ita, vt ad hunc colligatur locum: vel propter caliditatem hoc idem accidit.* 63. 5.

Manifesta est Aphorismi absurditas: cuius loco alterũ nos exarauimus, ac substituimus.

7 *Si quod intestinorum gracilium discindatur, non coalescit.* 24. 6.

Continetur in decimooctauo eiusdẽ lib. cuius quidem initium: [Vesica discissa, aut cerebro &c.]

8 *Qui in febribus ardẽtibus tremores fiũt, delirio soluuntur.* 26. 6.

Suspectus est Galeno ipsa loquutionis impropriëtate. Fuchsius verò vt vitet illam sermonis improprietatẽ, sic suo modo Aphor. vertit: [quibus in ardentibus febribus tremores fiunt, ijs delirium succedit.] At Fuchsius sua hac versione Galeni potius commen-

tum, quàm Hipp. contextum latinitati reddidiſſe videtur. Niſi fortaſis ille Græcum habeat exemplar longè ab aliis diuerſum, quod neq; Leonicenus vnquam viderit, neq; Raſario hactenus innotuerit

9 *Morbo regio laborãtibus ſi fiat hepar durum, malum.* 42. 6.

10 *Quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo ſuperuenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrium obduruerit: ſi verò non, non bonum.* 64. 4.

Huius & immediatè antecedentis Aphor. ſententia duobus verbis abſolutè eſt comprehenſa in calce Aphor. 62. 4. lib. ex additione noſtra, ſuaſu tamen Galeni facta, vt patet ſectione vltima. 60.

11 *Quibus ex ſtillicidio vrinæ, ileos ſuperuenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperueniente ſatis vrina fluxerit.* 44. 6.

Putat Galenus illegitimum eſſe hunc Aphor. propterea quod eius ſententia neq; ratione vlla, neq; ipſa demum fulciri poteſt experientia. Conatur tamen ipſe in poſtrema comm. parte quendam venari expoſitionis

modum, quo, &si perrarò, verificari potest eius Aphor. sensus & intellectus. Quem sanè enarrationis modum, quum alioqui Galenus subobscurum nobis reliquerit, nemo post Galenum ipsum vno Philotheo autore Græco magis enucleauit.

12 *Difficultatem vrinæ, vena secta iuuat: secare verò interiores*. 36. 6.

Palam astruit Galenus ex interpositorum numero hunc vnum esse, pro falso enim dicit esse habendum, nisi [&] copulam assumat hoc modo; [Difficultatem vrinæ & vena secta iuuat] Præterea, quod dicitur: [Secare vero interiores.] Nullum habet sensum doctrinæ Hippocraticæ, atque adeo veritati ipsi consonum.

13 *Ex medicamenti potione conuulsio, lethalis est*. 25.7.

Continetur hic Aphor. in 4. quinti lib.

14 *Quādo os, aut chartilago, aut neruus abscinditur in corpore, non augetur*. 28. 7.

In 19.6. lib. concluditur.

15 *Si quis sanguinem minxerit & grumos, & stillicidio vrinæ laboret, et dolor inciderit in femur, & imum ventrem pectinemq;:*

quæ

quæ circa vesicam, male se habere significatur. 39. 7.

Idem 4. Aphor. 80.

16 *Si senioribus supra modum purgatis singultus superuenerit, non bonum.* 41. 7.

Clauditur & hæc sentẽtia eodem Aphor. 4. Quinti lib. paulò ante citato, quo in loco Hipp. lethalem facit tum cõuulsionem, tum singultum ex superflua purgatione superuenientes. Etenim si hæc cũctis in vniuersum praua sunt, senibus ipsis deteriora esse quis ambigat? Meritò itaq; & hic repetitis adscribitur.

17 *Dolores oculorum, post meri potionẽ, & aqua calidæ balneum, venæ sectione curato.* 46. 7.

Spurius hic esse proculdubio dignoscitur: fuit autem, sed perperam, ex 31. lib. 6. transumptus, & consarcinatus.

18 *Aqua inter cutem laborans, si à tussi habeatur, desperatus est.* 47. 7.

Idem habetur 6. Aphor. 35.

19 *Urinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ sectio soluit: incidere autem interiores.* 48. 7.

Labo-

Laborant Galenus & Philotheus dictorũ affectuum causas inuestigare ac distinguere, iuxta quas proposita auxilia duabus illis dispositionibus præsidio esse queant. Sed vtcũque, vel ex illis postremis verbis, [incidere autem interiores.] hic, non secus atque 36. lib. 6. ceu nothus reijciẽdus venit ac reprobãdus.

20 *Ab angina habito tumor, & rubor in pectore superueniens, bonum: extra enim vertitur morbus.* 49. 7.

Idem 6. Aphor. 37. paululum mutatis, & quibusdam etiam adiectis voculis.

21 *Quibus à venis sanguinem mittere confert: ijs vere venam oportet secare.* 53. 7.

Pars est Aph. 47. lib. 6. cuius initiũ: [Quibuscunq; venæ sectio, vel purgatio &c.]

22 *Quibus in vrinario meatu tubercula fiunt, ijs suppuratione facta & eruptione, soluitur dolor.* 57. 7.

Iisdem propemodum verbis legitur quarto Aphor. penultima sede.

23 *Vbi in toto corpore mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio cõmutat, longitudo morbi* signi-

ſignificatur. 60. 7.

Idem 4. Aphor. 40.

24 *Sudor multus calidus, vel frigidus ſemper fluens, humorē abduci, robuſto quidē ſupra, debili verò infra, ſignificat.* 61. 7.

Initio quidem aſsimilatur. 42. lib. 4. Sed fine eidem non conſentit: quinimo ſenſu & vocum contextu toto ab eo diſcrepat cœlo.

25 *Febres, quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, periculoſæ: quocunque autem modo intermiſerint, ſignificant, quòd non ſunt periculoſæ.*

Hunc, & duos ſtatim ſubſequētes ſine numero ipſis præfixo ſcriptos reperies in vulgata editione immediatè poſt 61. quem modo exarauimus. immo in quibuſdam codicibus ne omnino quidem ſcribuntur, aut ſolum in com. eorum meminit Galenus. Legitimi autem, a quibus hi ab alijs interiecti parum, aut nihil differunt: in quarta Aphor. Particula ſeriatim locantur hiſce numeris inſcripti: 43. 44. 45.

26 *Quibuſcunq; febres longæ, ijs vel tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt.*

Qui-

27 *Quibuscunque tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decumbunt, ij cibo pleniore vtuntur.*

28 *Si quis cibum febricitanti dederit: vt sano robur, sic laboranti morbus.* 62. 7.

Qui hũc interposuit Aphor. malè Hippocratem æmulando 2. Aphor. 10. ita scribentẽ: [Non pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes.] eandem sententiam sub fatua, & planè ridicula verborum serie ac forma explicuit. Satius vtique fuisset hũc in modum ipsam efferre: cibus, vt sanis robur, ita laborantibus morbum auget.

29 *Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet, si talia, qualia sanis, excernuntur. Quæ igitur minimè similia sunt his, hæc morbosiora: Quæ verò sunt sanis similia, hæc minimè morbosa.* 63. 7.

Nemo est, qui vel summis labellis phrasim Hippocraticam degustarit, cui statim non pateat, hunc, & sequentes duos contextus ne Aphorismi quidem appellatione dignos haberi, (adeo rudioris sunt literaturæ, ac inextricabilis sensus) tantum abest, vt

a tanto

a tanto viro, qualem fuisse Hipp. nouimus, conscripti putentur.

30 *Et quibus deiectiones si stare permiseris, & non moueris, veluti strigmenta subsistunt: & si pauca, paucus est morbus: & si multa, multus: ijs cōfert alui purgatio. Quòd si aluo nō purgata dederis sorbitiones, quātò plures dederis, tanto magis nocebis.* 64.7.

31 *Quibuscunque cruda infra deiiciuntur, atra bilis inest: si plura, maior: si pauciora, minor est morbus.*

Sunt, qui huiusce Aphor. initio ad præcedentis calcem reiecto eundem ab atra bile inchoent, hocq; pacto legant; [vbi atra bilis in est, si plus, maior est morbus: si minus, minor.] Quum verò sit spurius, vtcunq; scribatur, nihil sit nobis curæ. Nec in aliorū Aph. serie is collocatur, sed solum in comm. eius Aphor. 64. excuditur.

32 *Excreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, sanguineæ, biliosæ, & fœtidæ, omnes malæ. Cum verò bene excernuntur, bonum est, & per vesicam: &, vbi aliquid secedens steterit non purgatum malum.*

lum. 65. 7.

Parum hic differt a 47. lib. 4.

33 *Corpora oportet, vbi quis purgare voluerit, fluida facere: & si suprà, sistere aluum: si verò infra humectare*. 66. 7.

Prior quidem Aphor. pars est integer 9. Secundæ Part. Aphorismus. Reliquum fuit appositum.

34 *Somnus, vigiliæ, vtraq; modum excedentia, morbus*. 67. 7.

Eodem ferè modo effertur 2. Aphor. 3.

35 *In febribus non intermittentibus si exteriora frigent, interiora vruntur, & febris habeat, lethale*. 68. 7.

Si loco eius, quod dicitur: [& febris habeat] scriptum esset: [& sitim habeat] in nullo penitus discreparet a 48. lib. 4.

36 *In febre non inter mittẽte si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non uideat, si non audiat, & iam debilis sit; quicquid horum fuerit, mors prope est*. 69. 7.

Et oratione, & sensu æquipollet. 49. lib. quarto.

Ab

37 *Ab alui profluuio difficultas intestinorum [superuenit.] 71. 7.*

Lõge meliori scriptura habetur.7.Aph.23.

38 *A difficultate intestinorum, læuitas intestinorum superuenit. 72. 7.*

Liquidò hic continetur in 43.lib.6.

39 *A sanguinis vomitu, tabes, & puris pur gatio suprà: in tabe, fluxio ex capite: in flu xione, alui profluuium: in alui profluuio, adstrictio purgationis superioris: in adstrictio ne mors. 74. 7.*

Ex 15.& 16.Aph.eiusdem lib.fuere hæc col lecta,& corruptè satis composita.

40 *Qualia fuerint vesicæ, aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à na tura corpus exierit, si parũ, paucus est morbus: si multum, multus; si valde multum, lethale est. 75. 7.*

Modus hic loquutionis ab ea,quæ Hipp.ge nuina dicendi forma,est allienissimus.Et hoc sermone clauditur Illegitimorum Aphor.Ca talogus.

FINIS.

LEGITIMORVM HIPP. APHORIſmorum Index Alphabeticus, priori numero Aphoriſmum, altero ſectionem indicantibus.

A

N A mor-

Cor

iis,

I

Mu

Q.

Qui-

Si ebrius

Su-

INDICIS FINIS.

ERRATA PER IMPRVDENtiam commiſſa ſic corrigito.

GEminatos ſeu copulatos Aphoriſmos duplici aſteriſco notandos indicauit Auctor in ſuis Obſeruationibus, vno quidem in margine, qui omnino prætermiſſus fuit, altero verò in capite annexi Aphoriſmi, quem vbiq; appoſitum inuenies præterquàm vno in loco ſectionis 7. Aphor. 160. Ne quis verò inter legendũ ſcrupulus lectorem ipſum remoretur & fallat, ſuum quiſq; ſibi codicem emendet ac corrigat prius, quàm operi euoluendo manus admoueantur. Mendis itaq; à nobis hìc patefactis grauioribus, deprauata loca ſic benignus reſtituat Lector. Pag. 22. verſ. 20. adiuraſſe, adiudicaſſe. 53. 8. nullos, nullus. 57. 13. ſimplicirer, ſimpliciter. 59. 10. Diæteticem, Diæteticen. 62. in Titulo, De inſtit. vit, vict. 69. 10. malum. morbum. 71. 7. illud, illis. 73. 9. neq; haud, neq; cum haud. 75. 11. delectionis, delectationis. 76. 19. celebritate, celeritate. 77. 2. vna, vnà. Eadem, 7. ſimile, ſimiles. Eadem, 15. circa finem rurſus cibum ualde, tolle ualde. 87. 19. aggauant, aggrauant 90. 3. temperatura, temperaturæ. 105. 22. ad caput, & ad caput. 107. 19. Rubrus, Rubeus ſiue Ruber. 111. 19. frebris. febris. 114. 4. effufa : effuſa. 122. 13. ſuper dormierint, ſuperdormierint, 123. 12. Aphoriſ. 92. Aphoriſ. 93. poſtremæ &c. 133. 16. coucepit, concepit. 135. 3. ſœminam, fœminam. Eadem, 18. Quœ; Quæ. 137. 1. hahentes, habentes. Eadem, 2. ſecnndo, ſecundo. ibidem tertto, tertio. Eadem, 3. accetabula, acetabula. Eadem, 5. diſrumpuntur, diſrumpuntur. 142. in titulo, De Præditionibus, De Prædictionibus. 148. 22. ſemen, femen. 149. 20. multis multus. 169. 19. ſi annua ſunt, dele ſi. 170. 22. moriuntur, adde 46. 6.) 172. 16. apoplexiam corporis, ap-

appone aſteriſcum iuxta ſignum ∫.178. 18. ceterum cæte rùm.182. 11.iuuenibus, ſubde adhuc. Eadem,21.Grauitas, Grauidas.183.5.ſemen,adijcito non. 184.2. fortaſis. fortaſsis 186.14. aqua,aquæ.191. 24. quarto , quarti.192. 20.allieniſsimus , alieniſsimus.